MATTHAEI CVRTII PAPIEN-SIS DE VENAE SE-ctione quum in alijs affecti-bus, tum uel maximè in pleuritide liber.






APVD SEB. GRYPHIVM
LVGDVNI,
1538.

REVERENDISS. ET ILLVSTRISS. GVIDONI ASCANIO SFORTIAE DE S. FLORA BONONIAE LEGATO

MATTHAEVS CVRTIVS F. D.


ECVM ipſe conſiderans tuorũ in me meritorum, & humanitatis erga me tuę magnitudinem, ingratitudinis planè uitio notari poſſem, niſi (quod alios omnes diuinis tuis uirtutibus allectos facere uideo) quicquam moliri conarer, quod tibi gratum fore ſperarem. Quare quum pleuritidem morbum non contemnendum à medicis ferè omnibus, malè curari hactenus perſpexerim, qui non è directo partis affectæ, ſed contra Hippocratis & Galeni ſententiam, quos & primos, & ſummos medicos eſſe reor, ex oppoſito latere, non ſine magna la-

borantium iactura, sanguinem esse mittendum arbitrantur: nostrum hunc de Venæ sectione tractatum, quum in aliis affectibus, tum uel præsertim in laterali morbo, ad cõmunem omnium utilitatem edere decreuimus, & tuo nomini dicare: quò fiat omnibus apertissimum, quẽpiam Hippocrate Galenoq́ relictis, aliorum imitatione operam & industriam perditurum. Hoc igitur (qualecunque sit) munus, ea, qua me semper recipis, hilari fronte suscipias uelim, eoq́ animo, quo ab homine tibi deditissimo mittitur. Quòd si uita superstit, & id ipsum placuisse cognouero, meliora me daturum polliceor.

Vale, & (quod facis) literarum studiosos foue. Bononiæ. Anno M. D. XXXVIII. Mense Iunio.

MATTHAEI CVRTII PAPIENSIS DE VENAE SECTIONE LIBER.



QVVM apud Ticinenſes iandudum, hinc Patauij magna auditorũ frequẽtia docuiſſem, in dolore lateris à principio, ſtante corporis plenitudine, quãdo ſanguinem mittere cõuenit, ad Hippocratis & Galeni mentem è directo partis affectę mittendum eſſe: ut ſi pars dextra ſit oblæſa, internam cubiti dextri uenam, quam Arabes baſilicam uocant, incidendam eſſe: non defuerunt, qui contrariam opinionem (quę longo temporis interuallo ferè omnibus familiaris fuit) defendere ſint conati: ſiue id glorię ſtudio fecerint, ſiue reluctandi animo, uel quia ueritatẽ ſe tueri fortaſſe crederent, aut quòd ab eorum placitis diſcedere grauarentur, ut de methodicis XIII. de morbis curandis, his uerbis inquit Galenus: Reli„ qui uerò methodici quũ innumeros quotidie „ iugulent,

,, iugulent, adeò rationem curãdi mutare adhuc
,, nolunt, ut quæ à medicis ſunt ſcripta, qui artis
,, operibus uerè inſudarunt, ne uel ſemel quidẽ
,, experiri uelint; adeò indelebile uitium uehe-
,, mens ignorãtia eſt, præſertim ſi cùm ſuperbia
,, ſit cõiuncta. Quò fit ut neotericorum plurimi
adhuc in ambiguo laborent, quidnam ab eis in
hac re ſit agendum; ſiquidem ab una parte
Hippocratẽ & Galenum multosq; alios inſpi-
ciãt antiquos; ab altera medicos ſeniores, coæ-
taneos ſuos, quibus, ut ſuam curadi rationem
dimittant, ſuadere nemo ualeat. Hi ueritatis
indagandæ ſtudio ſi pro communi tuẽda opi-
nione deſudaſſent, meritis profectò laudibus
efferendi eſſent: uerùm quia rixandi potius,
quàm iuuandæ poſteritatis deſyderio cõmen-
ta ſua edidiſſe conſpiciuntur, non rationibus,
ſed cõuitijs, quæ me dixiſſe fingunt, inſectan-
tes, haud ſcio, cur ſummæ temeritatis non ſint
arguendi: uiderunt (ut arbitror) quæ, me pro-
fitẽte, diſcipuli collegerant, in quibus infinitos
propemodum errores annotari liceat, quæ me
dixiſſe omnia ſuis editionibus inſolẽter affir-
mare non erubeſcunt, unde mihi ea ipſa dant
uitio, quæ non modò non dixi, ſed neq; unquã
cogitaui: putant aduerſum me ſcribere, quum
tamen in uanas hallucinationes ſuas ſcribant.
Quòd ſi contingat (ut plerunq; accidit) au-
ditores meos ueri quicquam literis deman-
daſſe,

dasse, id ipsum male interpretantes, non in me, sed in suarum opinionum prauitatem insurgunt. Accedit ad hæc, quòd quæstionem de uenæ sectione, mendis scatentem, infiniteq; deprauatam, nomine meo inscriptam, impudẽter ediderunt; quam parum eruditus quispiã, qui me audiuerit forte, cõposuerat. Sed hos missos faciamus, quoniam cum inquinatissimis nõ est conuitio decertandum, neq; maledictis aduersum impudentes, & improbos uelitãdum; quia tãtisper similis & compar eorum fias, dum paria & consimilia dicas atq; audias. Vt tamen sciant omnes, quid in hac sentiam difficultate, & ut illorum temeritas, ne dicam ignorantia, qui tam licẽter me lacessunt, nota sit omnibus, atque si quod iam fecere, idem quoque facturi essent, non existimet ingeniosus lector, qui meas lucubrationes non agnouerit, ea me dictitasse, quæ mihi falsò ascribent, utq; discipulis & amicis me rogantibus morem geram, id oneris assumere uolui; non quòd eos, quorum mens in erroribus occalluit, à suarũ opinionũ cæcitate remoueri sperem; sed ut his qui ueritatem cupiunt, ac ea discere student, quæ gloriosissimi ueteres scriptis reliquerunt, aliqua ex parte satisfaciam.



DVBIVM fuit apud antiquos, incipiēte pleuritide, corpore pleno, quum ſanguis eſt mittendus, quæ uena ſit incidēda. Sunt qui uenam internam brachij lateris dolentis incidant, ſunt qui eandem alterius, alij uenam poplitis, aut tali eiuſdem partis aperiunt, nonnulli eandem oppoſitæ; nec defuere, qui dicerēt, eſſe uenā in affecto loco ſecādam, aut ſuper eodē cucurbitulas cū ſcarificatione ponendas: adeò ut ſint tot opiniones inuentæ, quot imaginationum modi. In hac dubitatione primum oſtendā Hippocrati, Galenoq; placuiſſe, uenā, quæ intus in cubito affecti lateris, incidendam eſſe. Secundo idem quoq; ſenſiſſe Arabes. Tertio ad id rationes adducētur. Quarto cōtrariæ partis argumēta diſſoluētur. Quod ad Hippocratē ſpectat, ipſe; ſecundo de ratione uictus in acutis, tex. decimo, poſtquàm fomēta in pleuritide docuit ad dolorē ſedandum opportuna,
,, ſi dolor formētis nō quieſcat, ait, Quum dolor
,, ad iugulū extēditur, aut grauitas, uel brachiū,
,, uel māmillam, aut partes, quæ ſupra tranſuer-
,, ſum ſeptum ſunt, infeſtat, interna cubiti uena
,, ſecanda eſt; neque dubites copioſum detrahe-
,, re ſanguinem, donec uel rubidior multo, uel
,, pro puro, rubidoq; liuidus effluxerit; utrunq;
,, enim accidere ſolet. At ſi eas partes, quæ ſub
,, tranſuerſo ſepto ſunt, dolor afficit, & ad iugu-
lum

um non aſcẽdit, tum uel nigro ueratro, uel pe-
lio aluus ducenda eſt. Dices fortè, Non dixit
Hippocrates, ex quo latere uena ſecanda ſit.
Audi quid dicat quarto de ratione uictus in
acutis L X I X. Si dolor ad ſuperiores partes
xtenditur, ut iugulum, mammillam, brachiũ,
nternam brachij uenam ſecare oportet: ab eo
uidelicet latere, quod dolore fuerit affectum:
uel (ut habet antiqua traductio) ad qualeſcũq;
partium fuerit, ſcilicet dolor, ſecundum hanc:
uel (ut nouiſsima) ſi dolor ſurſum penetraue-
rit, uel ad clauiculam, uel mammã, uel brachiũ,
uenam brachij internã ſecare oportet, qua do-
lor afficit parte. Sup quo tex. ita Gal. ait: Hoc
etiam loco rurſus explanat ſententiam legiti-
mæ partis libri: unum enim quod omiſerat, ſed
per ea, quæ ab eo dicta ſunt, facile ſubintellige-
batur, adiecit, hoc ſcilicet, ſecundum rectitudi-
nem dolentis lateris faciendam eſſe uenæ ſe-
ctionẽ, quod his uerbis indicat, internam bra-
chij uenam ſecare oportet, ab eo uidelicet late-
re, quod dolore fuerit affectum.

Dicta uerò Hippocratis ſecũdo de ratione uictus in acutis, quibus intelligitur eum uoluiſſe ſecandã eſſe uenam lateris affecti, ſunt. Primùm, quia dolore aſcendente, dicit eſſe ſecandam uenam: eo uerò deſcendente, dandam medicinam purgantem. Si uellet Hippocrates ad contrariam partem trahere, potius eligeret

oppositionem à sursum in deorsum, uel econtrario, quàm à dextro in sinistrum: quandoquidem reuulsionis à sursum in deorsum Hippocrates plerisq; locis inferius annotãdis meminit: eam uerò, quæ secundum dextrum & sinistrum fit, nullibi, quod sciam, clarè posuit.

„ SEcundo dicit esse copiosum sanguinem de-
„ trahendum, donec rubidior multo, uel pro
„ puro, rubidoq; liuidus effluxerit. Neque hoc intelligendum est, ut communiter intelligi solet, quando sanguinis color incepit mutari, supprimendam esse uenam: quippe ubi phlegmone magna sit, cui citius talis accidit mutatio, minus esset sanguinis mittẽdum, quàm ubi parua fuerit: quod aperte falsum est: uerùm intelligit Hippocrates (ut infrà etiã dicetur) quũ incipit sanguis mutari, donec fluit ualde mutatus, esse sanguinem detrahendũ: semper tamen intelligas uirtute cõsentiente. & proinde dixit,
„ Donec rubidior multo, uel pro puro, rubidoq;
„ liuidus effluxerit. & non dixit, fluere cœperit. Hæc autem sentẽtia stare nõ posset, si uena lateris non affecti secanda foret. Dicebat enim Galen. in tract. de uenæ sectione. d. 2. su. prima. c. 3. sententiã hanc Hippocratis præcipue uerã esse, quando prope uenam incisam phlegmone est ingens, ut in dicendis clarius apparebit.

TErtio dixerat Hippocrates tex. VIII. eiusdem 2. lib. uenæ sectionem dolore descendente

dente non æqualem uim habere, ut fomẽtum, in doloris sedatione: nec ita dolorẽ sedare, sicut medicina purgans, quod ob aliud esse non potest, nisi quia (ut ait Auic. XIII. trac. V. c. 2.) dolore descendente phlebotomia basilicæ sola nõ trahit de loco læso aliquid, de quo sit curandũ: medicina uerò purgans de loco læso plus trahit, quando dolor descendit: quoniam per uenas affecto loco propinquiores euacuat. Igitur qua ratione Hippocratis in sedatione doloris descendentis præfert medicinam purgantem misſioni sanguinis, eadem debet sectionẽ uenæ internæ lateris affecti sectioni uenæ lateris non dolẽtis præferre, utpote loco læso propinquioris & magis communicantis.

QVarto uult Hipp. in eod. tex. VIII. illam uenæ sectionẽ, quæ non ualde iuuat dolore descendente, plus iuuare dolore ascendente. Venæ lateris affecti sectio parũ iuuat dolore descẽdente, igitur ea est quæ multum iuuat ascendente dolore. Cur sectio uenæ, quæ intus in brachio dolore descendente parũ iuuet, docet Gal. in commento X. 2. de ratione uictus in acutis: quoniam scilicet cor in medio ponitur inter uenam cubiti internam, & partem pectoris inferiorem phlegmone laborãtem. Hæc ratio cõcernit æqualiter internam cubiti uenam lateris affecti, & non affecti. Relinquitur ergo internæ cubiti uenæ sectionẽ lateris ægrotantis

tis parũ iuuare dolore deſcendente, multumq́ prodeſſe quum aſcendit. Vt uerò clarius mens Hippo. intelligatur, notanda eſt Gal. ſententia in commẽto, cuius ad uerbũ interpretatio talis
» eſt: Secundum declinationẽ humorum facien-
» tium phlegmonem facit Hippo. euacuationes:
» hoc enim, quæ euacuanda ſunt, eò duci debe-
» re, quò natura uergit per loca conferentia, ue-
» riſsimum eſt. Accidit autem interdum hoc ſe-
» cundum diuerſitatem partium panniculi ſub-
» cingentis coſtas: nã partibus eius ſuperioribus
» phlegmone laborantibus ad iugulũ, brachiũ,
» & mammillam extenditur dolor: inferioribus
» autem ad ſeptũ tranſuerſum & hypochondria.
» Quum ergo ad ſuperiora dolor extẽditur, ue-
» nam oportet ſecare in brachij flexu plus & ci-
» tius à laborante particula potentem diuertere
» & euacuare ſanguinẽ: Vbi uerò dolor uergit
» ad inferiora, medicamentis purgantibus eua-
» cuationem fieri conuenit. Bene autẽ dixit, gra
» uitatem fieri circa brachium, non dolorem: Et-
» enim hic magis cõgregari ſanguinem, & decli-
» nare, ſignum eſt grauitas ex multitudine facta.
» Tenſiones autem ſecundum cõmunitatem ſo-
» lam fieri conſueuerunt, uicinis partibus locis
» phlegmone laborantibus tenſis, præter quòd
» multiplicetur in eis ſanguis. Propter hæc igi-
tur euacuare præcipit abũdantem ſanguinem incidentem uenam quæ intus. Deinde uenarũ

dissectionem sub compendio ponit Galenus, quam etiam tertio de aggressibus anatomicis ac proprio tractatu de uenarum & arteriarum dissectione posuerat, ut causam reddat, cur potius interna, quàm alia secari debeat: & in fine de uena loquens interna dicit: Hanc igitur iu-,, bet Hippocrates incidere, antequàm uniatur,, ei, quæ ab humerali scinditur, qua interdũ non,, apparẽte loco eius secamus interiorem, quam,, ad cubiti os descendere secundum rectitudinẽ,, dixi: non apparẽtibus autem his, ad factam ex,, unione dictarum duarum uenarum obliquarũ,, deueniemus: potente autem & hac aliquando,, non apparere, humerali apparente, ipsam inci-,, de cognoscens euacuationes, undecunque fiant,, in totum animalis corpus deduci, non tamen,, uelociter, nec æqualiter ex omni uena. Nos au,, tem uelocius, & plusquàm ab alijs partibus e-,, uacuare studemus id, quod phlegmone occu-,, pat, & maxime in acutis ægritudinibus, quod,, interna cubiti uena præstat, multoque magis,, quando inclinationem suprà sanguis abundãs,, facere uidetur, aut partes pectoris superiores,, sunt affectæ: tunc enim magis grauitas in bra-,, chio fit, & secundum mammillam. Phlegmo-,, nes uerò inferiorum pectoris partium, ob se-,, pti transuersi propinquitatem dolorem hypo-,, chondrijs communicant: non igitur eos ma-,, gnopere iuuat à cubito euacuatio, in medio,,

corde

,, corde poſito. dixi nanq; uenam inferiores pe-
,, ctoris partes nutrientem ſub corde oriri. quæ
,, omnia à me dicta ſunt, ut indicarem, Hippocra
,, tem rectè ſcripſiſſe, incidere oportet uenam, in flexu cubiti internam. Clarè uult Galenus in commento, ſecandam eſſe uenam, quæ plus & celerius à parte læſa, quàm ab alijs euacuat, & ex ea parte, ad quam natura declinat: quod aliter fieri nequit, niſi per internæ uenę ſectionem lateris affecti. Quomodo autē huius uenæ ſectio retrahat à parte phlegmone laborante (ut innuit eſſe neceſſariū Galenus, cum ait: Venā oportet īcidere in brachij flexu plus & celerius à laborāte particula potentē reuellere & euacuare ſanguinē) clare patebit ex dicēdis.

ALia eſt Hippocratis autoritas VI. Epid.
,, par. VI. tex. V. dicentis: Dolorum cauſa
,, proximum uentrē purgare, & ſanguinis uen-
,, trem incidere, uſtio, ſectio, calefactio, infrigida-
,, tio, ſternutamentum, plantarum ſucci in qui-
,, bus talis eſt uirtus, & cyceon male operantiū,
,, lac, allium, uinum feruidum, acetum, ſal. Enumerationem cuiuſq; auxilij, quo utimur in doloribus amouendis, fecit hic Hippocrates, ut Galenus in huius text. interpretatione declarat. Per uentrem ſanguinis, intelligitur uena magna: ut ſunt uenæ, quæ in flexu brachij, uel in cruribus inciduntur: quippe quæ ſunt in ſummis manibus, aut pedibus, aut ſub lingua,

uel

uel in angulis oculorũ, uenæ magnæ non ſunt, nec notabilem ſanguinis quantitatẽ euacuant, ut habet Gal. in trac. de miſſ. ſan. d. 2. ſu. prima. c. 5. quum dicit: Memini enim quibuſdam ad ,, ſex uſq; libras ſanguinem detractum fuiſſe, ita ,, ut febris protinus extingueretur, nec ulla ſe- ,, queretur uirium afflictio: quibuſdam uerò ſeſ- ,, quilibram, haud citra, leue ſaltem uirium detri ,, mentum: quibus ſi quis duas uacuaſſet, extre- ,, mè læſiſſet: quapropter utiliter quibuſdam unã ,, quoq; detraxi, imò uerò nonnunquã hoc quo- ,, que minus, idq; ex uena aut cubiti, aut popli- ,, tis, aut tali; nam ex uenis quæ ad magnos ocu- ,, lorum angulos conſpiciuntur, aut ſub lingua, ,, quod certè mentione dignum ſit, effluere non ,, ſolet: ſicut nec ſi quis ſumma in manu aut pede ,, uenam ſecet, quemadmodũ putant q liene, &c. ,, Huic ſententiæ ſubſcribit Paulus Aegineta lib. 11. cap. 39. his uerbis: Si quidem ſanguis na- ,, turæ modum tranſiliat, uena ſecanda eſt conti- ,, nuò, magna uidelicet, affectã prope particulã. ,, Clarè uult Hipp. hoc tex. quum dolorẽ ſedare uolumus, medicina purgãte, aut uenæ ſectione uacuationẽ fiendã eſſe, per uenas & loca pro- xima: quare in dolore lateris deſcendente iu- bet dari medicinam exoluentem, in aſcenden te ſecari uenam internam lateris infirmi, quæ magna ſit, & propinquiſsima: neq; per uenam propinquiſsimam laboranti particulæ, uenam

intelli

intelligas affectæ particulæ, utpote quæ non propinqua, ſed eiuſdē partis uena dicitur. Quā ob rem apertiſsima eſt Hippocratis ſententia, quando dolores, aut phlegmones incipiūt, uel augentur, & dolorem per uenæ ſectionem ſedare intendimus, laborātis membri uenam ſecandam non eſſe, nec multū diſtantem, ſed eam quæ magna ſit, & affectæ particulæ propinquiſsima: quò fit ut incipiente capitis aut colli phlegmone, uenas in angulis oculorū, aut ſub lingua non incidamus, quum magnę non ſint: nec uenas in cruribus, quum nimis diſtent: ſed uenam in flexu cubiti, quę collo & capiti propinquior eſt, ac magis communicans: & è directo, quam humeralem, uel externam Galenus uocat: alij uerò cephalicam. Incipientibus uerò phlegmonem contrahere pectore, pulmone, ſepto tranſuerſo, hepate, ſplene uel ſtomacho, interna cubiti uena lateris dolentis eſt aperienda, quæ non in ipſis membris, ſed eis alia quauis uena magna, propinquior exiſtit. Pari modo faciendum eſt alijs membris inferioribus phlegmone tentari incipientibus, ut infrà (quū ponentur Galeni autoritates) explanabitur. Incipiente uerò brachio phlegmonem pati, nō eſt eiuſdem brachij uena ſecanda, quia nō propinqua, ſed ipſius ægrę particulę uena eſt, quare uel alterius brachij, uel cruris uenam, quæ ſecundum rectitudinem laborantis eſt lateris,

incide

incidemus. Et quia uenæ ſectio nõ in membro patiente, ſed in parte illi propinquiſsima deriuatiua ſolet appellari, ſequitur Hippocratem prius uenæ ſectionẽ facere deriuatiuam quàm ad longinqua reuulſiuã: quod VI. Epid. par. 2. his uerbis clare dicit: Deriuare, cedentem re- ,, uellere ſtatim, reſiſtentem cedere, quem textũ ,, ſic interpretatur Galenus. Ad deriuationẽ con ,, ſequens erat ſubinferre, reuellere, & poſtea do- ,, cere, quomodo quis optime facere poſſet re- ,, uulſionem. Hippocrates uerò prætermiſit di- ,, cere reuellere: & ſtatim peruenit ad illud quod ,, eſt cognitu utiliſsimum, bene uolẽtibus retra- ,, here humores male irruẽtes ad aliquod mem- ,, brum: non enim ſemper oportet inſiſtere in au- ,, xilijs reuulſiuis, ſed interponere aliquod tem- ,, pus uacuum eorum quæ retrahunt, ut humo- ,, rem iam firmatum qui ad patientem particulã ,, deuenit, ſecerni permittamus, nam in ipſa per- ,, manens particula dupliciter moleſtiam affert, ,, partim quidẽ ſui multitudine extendens, par- ,, tim uerò ſui qualitate triſtitias inferens. ſi autẽ ,, permittes humores qui ad particulam perue- nerũt ſecerni, liberabis ipſam particulam à do- lore, & facilem eam facies reuulſiuis auxilijs, & non amplius ſuper ipſam, propter dolorem particulę humores irritantẽ ad defluxum, quẽ à principio non recte fecerũt. Hinc Auic. IIII. pri. c. 1. & 3. dixit: Quum ad longinquum tra-

here uolueris, dolorem prius seda.

QVi oppositam opinionem sequunt̃, duas primas Hippocratis autoritates uarijs modis exponere conantur. Dicunt aliqui, uerũ esse, Hippocratem præcipere uenæ sectionem in flexu cubiti lateris dolentis, sed eum supponere pro uniuersalibus regulis, factas esse reuulsiones, inter quas sectio uenæ lateris non dolentis enumeratur. Imaginantur alij mẽtem fuisse Hippocratis de uenæ sectione deriuatiua, non de reuulsiua loqui. Nonnulli de curatiua, quæ morbo iam facto cõuenit, nõ de præseruatiua, quę partem morbi futuram respicit, & in parte non affecta prius fieri debet. Sunt qui putent Hippocratis dicta intelligenda esse, quando materia concocta est, non in principio uel incremẽto: quia tunc ex latere non dolẽte reuellere debemus. Nec desunt qui uelint Hippocratem loqui quando materia fluxa est, non quando fluit, quum tunc oporteat ad longissima retrahere. In tribus hi conueniũt: primò, quòd Hippocrates præceperit in pleuritide uenæ sectionem lateris dolẽtis. Secundò, ꝙ id faciendum sit, quum materia fluxa est. Tertiò, ꝙ fluente materia, uel ex crure, uel ex latere non affecto sanguinis missio prius fieri debeat. Hanc suam interpretationem cõfirmant: Primò, quia text. x. secundi de ratione uictus in acutis, ait, grauitatẽ brachium, uel mammillam,

lam,uel partes,quæ ſupra tranſuerſum ſeptum ſunt,infeſtare:ubi uerò grauitas eſt,ibi materia iam cōtēta & fluxa eſt. Secūdò,quia uult ſanguinis colorem mutatū eſſe:quod fieri nō poſſet,niſi iam fluxiſſet ad membrum phlegmone laborās. Tertiò, quia quarto de ratione uictus in acutis tex. LXVIII. uult eſſe cōſiderandum ſputū,an ſit ruffum,an aliter coloratū: quando uerò ſputum coloratū uidetur, iam materia in membro recepta eſt. Quartò,quia dicit Gal. in trac.de ratione curādi per ſanguinis miſsionē: ›› In quibus autē iuxta ſectam uenam phlegmone eſt ingens,optimū eſt ſanguinis in colore & conſiſtentia mutationem expectare,ſicut indicauit Hipp. in lib. de acutorū uictu,quando de pleuritide uerba facit. Loquitur igitur Hipp. quando phlegmone magna eſt:quę tūc eſt magna, quū materia fluxa eſt. Quintò, quia dicta illa Hippoc. ſunt in parte,in qua docet curare: miſsio ſanguinis,quæ materiæ fluēti debet,eſt partis phlegmones futuræ præſeruatiua: ideo de hac conueniens non fuit Hipp. loqui in his libris, de acutorū uictu: docet enim locis illis, quæ uena ſit incidēda,non in præſeruatiua,ſed in curatiua parte: & hæc debet nō in principio fieri,ſed in ſtatu, ac per laborātis particulæ rectitudinem. Hæc eſt euacuatio,quā deriuatiuā uocant Hipp. & Gal. humorē,qui fluxit reſpiciens. Venæ autē inciſionē, quæ ad artē perti-

net præſeruatiuã,& quæ in contraria parte laboranti particulæ fit in principio ob humorẽ, qui actu fluit, quã Hipp. retractionẽ appellat, ipſe ut breuiloquus,omiſit: quia præcepta dare non intendebat,niſi quæ ad artem pertinent curatiuã,qualis non eſt diuerſiua, ſed deriuatiua uenæ ſectio,confirmatur:quũ iubet Hippo. XI.text. dolore deſcendente ad hipochondria dari medicinam purgantem, eam nõ in principio, ſed in ſtatu & digeſta materia dandam intellexit,iuxta ſententiam ſuam, IIII. reg. acu. XIX. quũ dicit: Qui ſtatim inter initia morbi inflammationes medicamẽto ſoluere conantᷣ,ij à diſtenta inflammataq; parte nihil auferũt, affectus uero (utpote crudus) non remittitur,ac partes ſanæ colliqueſcunt, quocirca morbus imbecillum corpus uincẽs,curationi non obedit.hæc Hippocrates.Sed eo tẽpore,quo præcipit medicamentũ dolore deſcendente, iubet, eodem aſcendẽte uenæ ſectionem, ergo miſsio ſanguinis Hipp.nõ eſt,quæ fit in principio,ſed in ſtatu concocta materia,& quæ ad partẽ ſpectat curatiuam. Sextò, uel Hipp.loquitur de reuulſiua euacuatione,uel deriuatiua:Si de deriuatiua,habetur intẽtum:Si de retractiua,hoc dici non poteſt,quoniam fit in contraria parte: Sed inflammato latere dextro , quum eiuſdem inciditur uena,inter affectum locum , & partẽ per quam fit euacuatio, nulla reperitur cõtrarietas

rietas:quia nec à ſurſum in deorſum,nec ab ante retro,nec à dextro in ſiniſtrum: cõcludendũ itaq; eſt,mentem Hipp. fuiſſe deriuatiuam ſanguinis miſsionẽ hortari, quæ diuerſiuam præſupponit ex oppoſito latere fiendam.

POſt quinq; modos, unà cũ rationibus adductis,eſt ſextus exponendi modus, prædictis in hoc conueniens Hipp.ſententiã:quar. de acu.uictu.LXIX. de materia fluxa intelligi debere,idq; præcipue ob tertiam eorum rationem:Secundo autem reg.ac.x. intelligi de uenæ ſectione reuulſiua in principio fiẽda ex latere non dolente, quia autoritate Galeni confirmant in eiuſdem, ſecundũ antiquam uerſionem,textus expoſitione, quæ talis eſt: Quãdo ,, extendit̃ dolor uerſus membra alta,tunc opor ,, tet,ut minuamus ex uenis,quæ ſunt in curuatura manus,uenam per quã poſsibile eſt attrahere ex ſanguine, qui eſt in mẽbro infirmo ad contrariũ partis, ad quam declinat quantitatẽ multam cum uelocitate. Si Galenus adducat̃, quar.de acu.uictu.LXIX.ſcribẽs Hipp.hic addere,quod in ſecũdo dimiſerat:reſpondẽt, Galenũ nihil aliud uelle,niſi ꝙ Hipp. in quarto diſtinctius, q̃ in ſecundo ſcripſerit: quippe dixit in quarto,quo latere uenæ ſectio ſit fienda, qđ in ſecundo non expreſsit: non tamen eandem uenæ ſectionem intelligit:ſed in quarto factam ex latere dolente,in ſecũdo factã ex oppoſito.

SEptimus eſt dicendi modus, qui ſententias Hippocratis in quarto de ratione uictus in acutis non admittit, eò quòd liber ille non ſit legitimus, ut clare ſcribit Galenus in eius libri procemio. In ſecũdo uerò non explicat ex quo latere ſanguinis miſsio ſit fienda: quare per hęc Hippocratis loca non concluditur intentum.

OCtauus eſt eorum qui ad id temeritatis deuenerũt, ut uelint Hippocrati nõ eſſe credendum, in pleuritide pręſertim, quum per Anaxionis curam, III. Epidimiarum poſitam, & à Gal. com. aph. 12. primæ par. ac primo de criſi. c. XVIII. declaratã, nõ bene, ſed male proceſſerit: nam ad octauã uſq; diẽ, in qua ſanguinẽ miſit, adhibuit fomenta, quibus à principio neglectis, ſanguinem tunc mittere præſtitiſſet.

NEc defuerunt alij ſic demẽtes, ut dixerint ingenium reuellendi nec Hippocrati, nec Galeno cognitum fuiſſe: quorum ætate imperfecta fuerit ars medica, Galenumq; ſibimet ſæpiſsime contradixiſſe. Hi ſimul omnes Hippocrati, Galenoq; repugnant: ſiquidem abſurdum ſit de materia fluxa, ea quæ ſcripſit Hipp. intelligere. Nam fluens materia phlegmonẽ factura, maiores arterias ac uenas primùm, hinc minores replet: atq; ita res procedit, donec ad minimas, & capillares ſit peruentum: demum partim per ipſarum ora, partim per tunicas exiẽs, ad phlegmones locum defluit, III. artis

medici

medicinalis: in de tumoribus, & de inęquali intemperatura. Quare quũ duplex sit materiæ fluxus, ad uenas, & arterias phlegmonem circunstantes, unus ex his ad ipsam phlegmonẽ, alter, uel de materia, quæ ad loca circunstantia fluxa sit, intelligit Hipp. uel quæ ad phlegmonem. Si primum, quũ in principio pleuritidis ad loca circunstantia materia fluxerit (utpote uenis arterijsq; omnibus uicinis iam repletis) clarè sequitur, incipiente pleuritide uenam lateris affecti secandam esse. Si secundũ, hæc materia, uel est cruda, uel concocta, nõ cruda, quãdoquidem materia cruda firmata, & in quouis membro quieta purgantem medicinam exhibere nunquã doceat Hipp. ut XXII. aph. primæ par. concocta medicari, atque mouere non cruda, &c. & Gal. in commẽto: Tales itaq; hu- ,, mores euacuare conuenit: hoc est, qui agitanť, ,, & de loco ad locum mouentur, ac transfluunt: ,, eos uerò, qui sunt in aliqua corporis parte fir- ,, mati, neq; alio auxilio mouere oportet, neque ,, medicari ante coctionẽ. Per medicari intelligit ,, Hippocrates, uti medicamẽto purgante, ut dicit Gal. in principio cõm. Idem habetur aph. I. quartę par. Idem I. de crisi. c. 9. & IIII. reg. acu. cõm. LXXII. scribẽs ait: Sed quod Hipp. dixit ,, aut post principium cõfestim antequã firmenť ,, humores iubẽs medicari, aut postea quum de- ,, co cti fuerint. Huic sententiæ subscribit Auic. ,,

,, quarta primi.c.3.inquiẽs,ſed & in acutis ægri-
,, tudinibus maturationẽ expectare melius eſt,
,, & præcipuè, quum quietæ fuerint,quòd ſi mo
,, biles fuerint,tũc ad euacuandam materiam fe-
,, ſtinare erit melius,quoniam impedimentũ mo
,, tus earum eſt maius,ꝙ ſuæ euacuationis ante-
,, quã ipſa ſit matura,& propriè quum humores
,, fuerint ſubtiles,& præcipuè quũ in concauita-
,, tibus uenarũ fuerint , & non in mẽbris ingre-
,, dientes.Quũ autẽ humor fuerit in uno mẽbro
,, cõprehenſus,nullo modo moueať,donec matu
retur. Vnde quũ dicit Hipp.deſcẽdente dolore purgantẽ medicinã eſſe dandam:non intelligit materia fluxa cruda & in mẽbro firmata,ſic eo dicente: Dolore aſcẽdente,internã lateris affecti uenam incidendã eſſe:non exiſtimat, id eſſe faciendũ,materia in mẽbro iam firmata & cruda:ſiquidẽ eodem tẽpore quo fomenta dolorẽ non leuãt,ſi dolor aſcẽdat, mittendũ ſanguinẽ: ſi deſcẽdat,dandum eſſe pharmacũ iubet. Nec Hip.dicta poſſunt intelligi de materia ad partẽ delapſa quieſcente,ac digeſta,tum quia pleuritidis materia concocta per ſputũ expurgatur, & quò maxime natura uergit per loca conferentia eò ducere oportet : igitur educãda tunc eſt per ſputũ,non purgantibus medicinis, aut uenæ ſectione: Tum quia pro leuando dolore, ſi fomentis non ſedeť,laudat Hipp. aperiẽdam eſſe uenam, uel pharmacũ eſſe dandũ. Sed ma-

teria concocta dolor magna ex parte leuatus est, id atteſtãte Hip. primo de ratione uictus in acutis. XXVII. his uerbis: Quum itaq; pleuritici aliquid notatu dignum ſcreare, & expurgare cœperint, dolores ipſorũ ilico ſua ſponte desinunt. Idẽ. Gal. primo, de criſi. c. 18. & Auic. X. tertij. trac. iiij. c. 5. quod eſt de ſignis horarũ pleuritidis. Rurſus quando fomentis dolor nõ ſedatur, non eſt fomentis diutius utendum, ſed aut uena ſecanda lateris affecti, ſi dolor aſcendat, aut danda medicina purgans, ſi deſcendat. II. de acu. uictu, tex. IX. X. & XI. Sæpiſsime uerò fluente materia dolor fomentis non aufertur: Ergo quum materia fluit, uenæ lateris affecti ſectio, & medicamentum purgans conueniunt. His cognitis, perſpicuum eſt Hippocratis præcepta de miſsione ſanguinis in pleuritide intelligẽda eſſe, quando materia fluit, nõ quando fluxa eſt. Item IIII. de ratione uictus in acu. LXXII. ait Hipp. Dolore deſcendente medicamentum quarto die miniſtrabis: Inquit Gal. quarto uerò die medicandum indiſtinctè pronuntiauit, neq; enim inter morbi initia aliquid remediorum huiuſmodi ægro iniungere oportet, deſumpto à numero dierum ſcopo: ſed quod Hipp. recenſuit eſt exequẽdum, nam uel ſtatim ab initio, priuſquàm in partem aliquam confirmẽtur humores, uel poſtea quum ad maturitatẽ perducti fuerint: quam ob cau-

 ſam,

,, ſam, & prima interdũ die, & ſecũda & quarta,
,, & interdum quinta medicamenta dedimus: &
,, non in quarta ſolum, quomodo is dixit: nempe
,, perſpicuum eſt, medicum nõ poſſe certè ſcire,
,, totam phlegmones materiã prima die ad locum defluxiſſe. Quare quum dicunt Hipp. & Gal. dolore deſcendente medicandum eſſe, prima die, fluente materia, non quando fluxa eſt, & in membro firmata, neceſſum eſt intelligere. Rurſus quũ Hip. XXXI. aph. VII. part. quinq; oculorum doloribus remedia poſuiſſet, epotũ ſcilicet uinum, fomentum, balneum, uenæ ſectionem, & medicamentum ſoluens: ea Gal.
,, inuicem comparans dixit in commento: Secu-
,, riſsimum autem fomentum eſt, & omnino ali-
,, quam afferens utilitatem, uel tãquam ſignum
,, ad dignotionem, uel tanquam cauſa ſanitatis
,, oculorum: quando enim omnino nihil influit
,, in oculos, fomentum diſſoluens eam, quæ in
,, ipſis continetur, ſuperfluitatem, eis ſanitatem
,, reſtituit: quum uerò adhuc influit, quum pri-
,, mum adhibetur, ſuo calore aliquod affert me-
,, diocre leuamẽ, ſed paulò pòſt dolorem auget,
,, & tunc fit ſignum dignoſcitiuum, ex quo nos
,, diſpoſitionem comprehendẽtes, quod ſcilicet
,, adhuc materia influit in oculos, ad totius cor-
,, poris euacuationẽ, uel ſectione uenæ, uel pur-
,, gatione peruenims. Dicebat inſuper Gal. primo commento ſecundi, de ratione uictus: In

acutis,

acutis, quòd ex fomẽtis dolor increſcit, quãdo ,,
propter calefactionẽ ſuam, trahitur ad locum ,,
morbi, ex ſanguine pluſquàm reſoluitur ex ,,
eo, uel etiam ſpiritus uaporoſus ex calore ge- ,,
neratur. His clare ſequitur, increſcente dolore, humores in locum dolentem adhuc influere, ſiue fiat id ratione doloris, aut fomenti calore, uel aliunde tranſmittantur. Et quum fomentis dolor augetur, iubet Hip. uenæ ſectionem, aut medicinam purgantem: ſequitur hæc auxilia miniſtrari debere, fluẽtibus adhuc humoribus in membrum dolens, non quando iam fluxere. Item fomentis utitur Hip. in pleuritide, quãdo materia fluit; nam teſte Gal. primo commento ſecundi. de ratione uictus acutorum, primum auxilium quod in pleuritide facit Hip. eſt fomentum; ſed eodem tempore, quum fomentis dolor augetur, iubet uenæ ſectionem lateris dolentis, ergo mens Hipp. eſt, quòd uena ſecetur lateris affecti, quando materia fluit: præterea ſi primum remedium fit in pleuritide fomentis, poſt quæ confeſtim præcipit uenæ ſectionem lateris affecti, ſequitur primam uenæ ſectionem ab Hipp. fieri ex ea qua dolor afficit parte, non ex alia. Rurſus XXII. aph. ſextæ part. inquit Hip. Quæcunq; rupta ex dorſo ad ,,
cubitum deſcendunt, uenæ ſectio ſoluit. Gal. ,,
in commento: Melius quidem ſcribunt qui- ,,
cũq; dolores ex dorſo, &c. nam ruptum ipſum ,,
deſcendere,

,, deſcendere,&c.& parum infrà ſubiungit:Re-
,, liqui uerò qui ſunt in dorſo dolores,ex de-
,, fluente humore generantur, ſolo aliquando,
,, ſed magna ex parte craſſo,& flatuoſo ſpiritui
,, aſſociato,quæ excipere oportet,atq; euacuare
,, per uenæ in cubito exiſtentis ſectionem, quã-
do huc apparet fluens.eſt enim eius præceptũ
ſecundum quod humores repunt, facere eua-
cuationes:Idem autẽ ſignificant & uerba hæc,
eò ducendum eſt,quò repunt per loca oppor-
tuna:quam ſententiam repetit Gal.commento
ſecundi.de uictu acu.His conſtat Hip. præci-
pere uenæ ſectionem & euacuationem cum
medicina quando humores fluunt,non quãdo
ſunt in aliqua corporis parte firmati, amplius
corpore pleno,ac ſecundum aliquam partem
uehementer dolente, fieri non poteſt, quin in-
terdum humoris fluxio per multos dies per-
ſeueret:nam Gal.in trac.de ratione curãdi per
ſanguinis miſsionem,de illo ſcribens, qui do-
lore oculorum ingenti uexabatur diebus iam
uiginti, dixit eum phlegmonem maximã flu-
xionemq; habere, & quòd in dies magis ma-
gisq; dolebat, ac phlegmone fluxioq; acerba-
bantur,& 11.de diff. febri.c.9.de his qui laterũ
inflammationes patiuntur,dixit: Acceſsiones
habent quales tertianæ febres,hæ uerò de ter-
tio in tertium acceſsiones,non niſi nouo fluxu
materiæ fiunt,ut longo proceſſu iuxta Leoni-
ceni

ceni diuiſionem patet ibidem.c.11.cui cõſentit Auic.prima quarti, trac.quartæ.c.13.quod eſt de feb.apoſtematum,quum dicit: Et non eua-„ cuantur iſtæ febres à periodis ſecundum ma-„ terias,quæ effunduntur ad apoſtemata eorum.„ Quare ſi uoluerimus Hip.miniſtrare uenæ ſectionem,& medicinam purgantem,quãdo materiæ fluxus deſijt, oportebit interdum poſt uiginti dies hæc auxilia differre,quum tamen Hipp. uelit ea confeſtim adhiberi,quando fomentis dolor non ſedatur. Fortè dicetur,Hip. intelligere, quũ materia pro maiori parte fluxa ſit,non quando tota iam fluxit. Aut intelligunt materiam pro maiori parte ad loca circunſtantia fluxiſſe,uel ad phlegmonem: ſi illud,quum corpore pleno in principio doloris lateris id ipſum uerificetur, tunc erit ſanguis ex uena lateris dolentis mittendus, quod erat intentum:Si hoc,quum ſciri non poſsit,donec phlegmone ac dolor augentur, quod pro maiori parte ad locum phlegmones materia fluxerit (ſicut tunc ſciri nequit quàm magna futura ſit phlegmone, dum hæc & dolor increſcunt) nunquam mittendus eſſet ſanguis, ex uena lateris dolentis, & tamen ſcripſit Hipp. quum dolor fomentis non ſedatur,mittẽdum eſſe ſanguinem,ex uena quæ intus lateris patientis, ut ſuprà declarauimus. Non conſyderant Hipp.& Gal.an materiæ dimidium, an

maior

maior pars ad phlegmonem ſit fluxa (nec id quum fluit, ex ſignis certe ſciri poteſt) ſed aduertunt an tantum fluat, & nondum incipiat in aliqua parte firmari, nec phlegmonem facere, & huius fluxus curam dicunt eſſe reuulſionem ſeu retractionem: An in aliqua parte firmetur, & phlegmonem facere cœperit, & huius (ſi recens adhuc ſit) ſiue maior, ſiue pars materiæ minor ad eam fluxerit, curam dicunt eſſe deriuationem; ſatis enim facit ipſis pro deriuatione fienda, quòd ad loca circunſtantia materiæ multum fluxerit. At ſi phlegmone ipſa ſit inueterata, & totum corpus euacuatū, ex parte ipſa læſa euacuationes fieri iubent: nec uolunt totum corpus ante deriuationem uacuari debere, quemadmodum præcipiunt ante uacuationē ex parte læſa fiendā. Videre licet hæc apud Gal. 11. artis curat. ad Glauc.
„ dicentem: At expoſita indicatio neq; ipſa ne-
„ gligenda eſt, nam per quæ euacuare oporteat,
„ atq; quomodo, ipſa præcipuè demōſtrat, fluē-
„ tium igitur humorum, retractio (ſic. Hip. no-
„ minat) eorum autem, qui iam membrum ob-
„ ſederunt, deriuatio medela eſt. & parum pòſt
„ ſubiungit: Patientibus uerò membris extre-
„ mis à coniunctis euacuatio fienda, ſiue retra-
„ here uelis, ſiue deriuare, præterquam ubi paſ-
„ ſio ſit inueterata: tunc enim à mēbro ipſo pa-
„ tiente detrahimus. Sicut igitur in ſynanchis
eas,

eas, quæ ſub lingua ſunt, uenas incidimus, „
quando iam totum corpus uacuum ſe nobis „
obtulerit, paſsio uerò ſit diuturna: ſic & hepa- „
ti, & ſpleni cucurbitulas applicamus; ſic & „
aliud quodlibet patiens membrum incidimus, „
ſi nō amplius humores influāt: tunc enim ma- „
gis irritaueris, & malū duplicaueris, ſed quan- „
do iam totum corpus expurgatum fuerit, neq; „
iam aliquid influit, aliquid uerò quod pridie „
influxerat in membro continetur: in hac parte „
uult Gal. ut ex membro læſo tutè fieri poſsit euacuatio, quòd opus ſit, & in partem læſam humores non influere, & paſsionem diuturnā, ac totum corpus euacuatum eſſe, quorū nullum dicit eſſe neceſſarium, nec ante retractionem, nec ante deriuationem: quare quum humores adhuc influunt, & corpus eſt plenum, euacuationem ex affecto membro, uel parte ſibi propinquiſsima non admittit, ſicut eſſet in pleuritide cucurbitulas applicare cum ſcarificatione lateri dolenti: ſed euacuationem deriuatiuam concedit, qualis eſt lateris dolentis uenæ ſectio, & eandem uenæ ſectionem reuulſiuam & deriuatiuam nominat, ut patientibus membris extremis, uno ſcilicet affecto crure, à coniunctis, id eſt, ab altero crure fienda eſt euacuatio, ſiue retrahere, ſiue deriuare uolueris: nam patiente crure dextro, ſiniſtri uenæ ſectio retrahit & deriuat: Quippe ſi materia deorſum per

per uenã cauam fluat ad crus dextrũ,respectu motus materiæ deorsum,missio sanguinis à sinistro deriuatiua dicitur,quia nõ sursum ad cõtrarium motus materiæ,sed ad latus trahit:respectu uerò motus materiæ facti à uena caua ad dextrũ crus,retractiua:quoniã trahit ad sinistrum & cõtrariũ motus materiæ. Pari modo dextro brachio phlegmonẽ cõtrahere incipiẽte,sinistri uenæ sectio & retractiua,& deriuatiua dici potest:nam si materia per uenã cauam sursum tendat ad brachiũ dextrũ, missio sanguinis à sinistro respectu motus materiæ sursum tendẽtis deriuatiua dicitur,quando nõ deorsum ad cõtrariũ motus materiæ,sed ad latus trahit:respectu uerò motus materiæ facti à uena caua ad dextrũ brachiũ, retractiua dici debet,quum ad sinistrum & cõtrarium motus materiæ trahat,sic enim retractionem & deriuationem Gal.describit. IIII. de morbis curãdis,quum de Hipp.loquens dicit:Cuius etiam
,, ipsius rei discrimen in libro de succis nos edo-
,, cuit,auertere nos iubens ad cõtraria, deriuare
,, uerò ad latus. Intelligere debemus ad contrarium motus materiæ,& ad latus motus materiæ,non ad contrarium membrum,ut II.artis cur.ad Glau.colligitur,quum dicit:Vtrunque
,, autẽ euacuationis genus per cõmunes uenas
,, fieri præcipit,ueluti in locis muliebribus in cõ
,, trariũ trahẽs,si eas,quæ in cubito sunt secueris
uenas,

uenas, aut mammillis cucurbitas apposueris, „
uel manus concalefeceris,& fricueris,atq; alli- „
gaueris. Deriuabis autē, si eas quæ in genibus, „
aut talis uenas diuiseris, & cucurbitas coxis „
applicueris,& crura calefeceris, ac perfricue- „
ris, atq; alligaueris. Patiēte utero cucurbitulas mãmillis appositas retrahere,& sectionē uenæ in talis deriuare scripsit, non ob aliud quàm quòd ad uterum materia fluit à sursum deorsum,& cucurbitulæ mãmillis appositæ à deorsum sursum, in contrarium motus materiæ trahunt. Sectio autem uenæ in talis non ad cõtrarium motus materiæ trahit, quum etiam deorsum trahat, sed ad latus potius, utero in medio posito uenæq; sectione in talis ad dextrum aut sinistrum trahente. Si uerò per reuulsionem, attractionem ad contrarium membrum, & non ad contrarium motus materiæ intelligeremus, non minus sectio uenæ in talis retraheret, quàm cucurbitularum in mãmillis applicatio: quippe non minus pedes utero, quàm mãmillæ contrariantur: siquidem ab eo mammillis sint remotiores. Vt autē res sit clarior, scire oportet, materiæ quæ suo fluxu læsionē facere potest, quatuor tēpora cõsyderari.

PRimum, in quo nondum cœpit fluere, ut si consuetum singulis annis affici dolore lateris in dextra parte, quis uoluerit præseruare, uenam in crure dextro secabit, ineunte

uere prius quàm materia fluere incipiat, ut habetur à Gal. in trac. de ratione curandi per
,, ſanguinis miſsionem, quum dicit: In quibus
,, autem corporibus nulla particula affecta eſt,
,, cæterum uacuationē uere ineunte facere præ-
,, uenimus, in his ſiquidē talis ſit homo, qui quo-
,, tannis æſtiuo tempore febrilibus morbis ob-
,, noxius eſſe aſſolet, atque in eo exundantiam
,, euacuare ſtudemus, æquè pars quæuis in ſan-
,, guinis detractione accommodata eſt, ſicut ſane
,, etiam ſi artriticus ſit omnibus articulis labo-
,, rans: Quibus autem eximie pars quæpiā (ubi
,, prius euacuati non fuerint) infeſtetur, haud
,, æquè liceat ex quauis parte euacuationē mo-
,, liri: uerùm ſicut in his, qui pati iam incipiunt,
,, nempe ut non æquè licet, quos phlegmone in-
,, uadit ex quauis parte euacuare, ſed è directo
,, partis læſæ uacuandum eſt: ſic in his, qui non-
,, dum phlegmone laborāt è directo partis lædi
,, conſuetæ, ſanguinem mittere debemus. ſub-
,, iungit: Quamobrem podagricos ex cubito
,, euacuato, comitialibus uerò morbis uertigi-
,, nibusq; obnoxios potius ex cruribus. & pa-
,, rum infrà dicit: Communis ergo in his omni-
,, bus ijs, qui uere ineūte ad ſanguinis miſsionē
,, accedunt, hæc ratio eſt, ſiquidem inſigniter de-
,, bilem partē aliquam habeant, in qua, quæ col-
,, ligitur plenitudo decumbet per reuulſionem
,, euacuare, ac ſi tale nihil ſit, qua cuiq; magis placebit.

placebit. Clarè ſcribens de uacuatione priuſquàm morbus incipiat fienda, Capite pati cõſueto, ut longius retrahat, ſanguinẽ mittit ex cruribus, non ex quauis parte, ſed ſicut iam morbis incipientibus è directo partis affectæ, uel affci conſuetæ: & ſi aduerſa capitis ualetudine inſtante, iubet miſsionẽ ſanguinis ex cruribus, multò magis quũ aduerſa pectoris ualetudo timetur, id præcipiet: & ſi pati aſſolet pars dextra, ex crure dextro: ſi uerò ſiniſtra, ex ſiniſtro. & hoc eſt quod Auic. x. tertij trac. quinto. c. 1. dicebat: Ex rebus communibus, eſt phlebotomia, ſed in principio ex latere diuerſo, & magis feſtina de ſaphena oppoſita in longitudine: id eſt, & magis feſtina quàm in principio, quod eſt priuſquàm incipiat morbus, de ſaphena oppoſita in longitudine, quæ uena tali, uel poplitis eſt è directo lateri patiẽti. Idem habetur in trac. de Natura humana, quum dicit: Quam ob rem has mittendi ſanguinis rationes, ſeruare aptiſsimũ eſt, operęq; pretiũ eſt, ut cultellus quàm longiſsimè à loco ubi dolor & ſanguis colligi didicit, adigatur: quia tali modo haud magna repente mutatio fieret, & conſuetudo remoueretur eo amplius coëundi. Super quo textu Gal. dicit ſentẽtiam intelligendam eſſe de ſanis, non de patiẽtibus, ſed pati ſolitis, in quibus uena ſecanda eſt longiſsimè diſtans à parte lædi conſueta. Fortè dices,

ces, in his, qui nondum patiuntur, & pati soliti sunt, à determinata parte fiendam esse uacuationem, per reuulsionẽ, & sicut iam incipiẽtibus pati, igitur incipiẽte lateris dolore per reuulsionem uacuatio fieri debet. Dicimus & incipientes & nondum incipientes pati per reuulsionem uacuandos esse: sed eorum, qui nõdum patiũtur, euacuationem à toto & à parte pati solita retractionẽ facimus: quare capite ac pectore pati solitis, uenã in cruribus secamus. Eorum autẽ, qui pati incipiunt non modò uacuationẽ à toto, & à parte læsa retractionẽ, sed à parte læsa, & uacuationẽ, & retractionẽ facere intẽdimus, imò plus ab hac, quàm ab alijs partibus, ut ait Gal. in cõmẽto x. secũdi de ratione uictus in acutis: Idcirco patientibus capite uel pectore, uenã ĩ cubito, nõ in cruribus secamus.

SEcundum tempus est, quãdo materia fluit, & nondum in aliqua corporis parte firmatur: ut quum sanguis è naribus, uel ab utero, uel aliũde fluit, aut ad aliam influit partem, in qua nõ firmatur. In fluxus sanguinis è naribus cura, secari debet uena, quæ reuellat; id est, ad contrariũ motus materiæ trahat, & ipsam retro fluere faciat; quare non incidemus uenã in crure longissimè distantẽ, quia sanguis non retraheretur, nisi fortè copiosissima fieret sanguinis eductio, quæ supfluo sanguinis nariũ fluxui nõ conueniret: & ideo Gal. & Auic. uolũt

secandam

secandã esse humeralẽ uenã, è directo naris unde fluit sanguis: dicebat em̃ Gal. in v. de morbis curãdis, eandẽ ob causam: Quum è naribus sanguis erũpit, id retinẽt magnæ in præcordijs defixæ cucurbitæ: infigẽdæ autẽ sunt, si ex dextra nare profluit, super iecinore: si ex sinistra, super liene: si ab utraq; nare, super utroq; sunt imponendæ uiscere. Quòd si resolutus adhuc æger nõ sit, etiam uena sub eo cubito incidẽda est, q̃ ꝓfusioni è directo respõdet, & Auic. quinta tertij, trac. 1. c. 9. dixit: In eo aũt q̃ prauior est illo, & factus est ꝓpter feruorẽ, & caliditatẽ uehemẽtẽ, aut eruptionẽ arteriarũ, necessaria est illa phlebotomia cephalicæ, q̃ sequit̃ illã narẽ.

TErtiũ tẽpus quum materia fluit, & iam in aliqua parte firmatur, & dolorẽ, aut phlegmonẽ facit: & tũc, siue dolor, seu phlegmone incipiat, uel increscat, siue materia pro maiori, uel minori ad phlegmonẽ parte sit defluxa, deriuatio & retractio fienda sunt, & secãda uena magna loco dolẽti proxima: ut apertè dictũ est ꝑ tertiã Hipp. autoritatẽ, quod intelligit Gal. quũ dixit: Eorũ uerò q̃ iam mẽbrũ aliquod obsederũt, deriuatio medela est, quapropter ĩ prĩcipio phlegmones ad lõgissima reuulsio minime fieri debet: nã tunc non tantũ retrahere intendimus, sed & retrahere, & à parte læsa, plusquàm ab alijs, euacuare: quod minime faceret uenæ sectio partis à loco læso lõgissimè distãtis.

QVartum tempus eſt,quando materia tota fluxit, nec aliquid amplius influit ad phlegmonem; & tunc ſi diuturna ſit paſsio, totumq́ꝫ corpus euacuatum à parte ipſa laborante (ſi id fieri poteſt) euacuamus,aut uenæ ſectione,aut ſcarificatione; ſi uerò totum corpus euacuatũ nõ ſit,uel diuturna nõ ſit paſsio, deriuatio fieri debet: ut in tertio tẽpore dicebatur. Ex his patet Hip. non eſſe intelligendũ, quũ materia fluxit ad phlegmonẽ,nec ex latere non patiẽte aliam præmitti uenæ ſectionem uoluiſſe; Quippe Hip. & Gal. II. de acut. uictu: tex. I. uolunt primũ remediũ in dolore lateris fiendũ,eſſe fomẽtũ; & quũ fomẽtis dolor ſedatus nõ eſt,ꝓtinus uenę ſectionẽ ex affecto latere ꝓcipiũt: ut tex. IX. & X. eiuſdẽ ſecũdi dicit.

REſtat ut ad ea,quæ in cõfirmationem ſuæ reſponſionis adducũt,reſpõdeamus. Ad primum,Cõceditur in principio phlegmones materiã,quæ grauitatẽ facit,ad partes circunſtantes defluxiſſe. Ad ſecundũ ſimiliter dicitur,ſanguinẽ qui ad partes phlegmonẽ circũſtantes fluxit,in colore cito mutari, quoniam partes illæ ſunt alijs calidiores. Ad tertiũ reſpondetur,in eo tex. LXVIII. ab Hip. poni ſigna in dolore lateris conſyderanda, & proinde dixit eſſe cõſyderãdum ſputi colorẽ; non tamẽ uoluit,quando curam per uenæ ſectionẽ, ſubiungit,eam ſolum fieri debere,quãdo ſputum

est ruffum, uel alio colore coloratũ, sed quando dolor ascendit, uel adsit, uel non adsit, uel subrubeum, uel aliter coloratũ sit sputũ. Præterea nihil prohibet, quòd in principio priusquàm materia pro maiori parte ad phlegmonem fluxerit, sputum sit subrubeũ, si fluentẽ sanguinẽ subtilem, & membranam costas subcingẽtem raram esse contingat, quod breuę morbum significare dixit Hipp. in aph. XII. primæ part. Ad quartũ dicitur, eo loco Gal. declarare, quæ sint à medico cõsyderanda, & priusquàm uena incidatur, & post incisam uenam, ut educendi sanguinis quantitatem deprehendat: quæ tria uoluit esse, nẽpe sanguinis mutationẽ, præcipuè quũ phlegmone cœpit: fluxus sanguinis impetum, & pulsus mutationẽ: Secta uena, urgẽte phlegmone, si celeriter & magna fiat sanguinis mutatio, quòd phlegmone magna sit, indicatur, multumq; sanguinis esse mittẽdum: si tardè, uel parua sanguinis mutatio fiat, parũ sanguinis educemus: Quòd si secta uena sanguinis fluentis impetus illico minuatur, pauci sanguinis educẽdi signũ est: si uerò diu perduret, extrahendi sanguinis multitudinem significat. Eodem pacto secta uena, si pulsus euestigio mutatur in paruitatem, aut inæqualitatẽ, aut imbecillitatẽ, non est copia sanguinis educẽda: si uerò pulsus persistat, & tardè mutetur, audacter sanguinẽ mittemus: nunquam tamen

tāta ſanguinis eductio fienda eſt, quam uirtus ferre nõ poſsit. Quare uult Gal. in omni phlegmone ſanguinis mutationē expectari, ſi uirtus perferre poſsit: quod tamē optimum eſſe, nemo eſt qui neſciat, quando phlegmone magna eſt, & prope uenā inciſam: quoniā tūc ſanguis uelociter mutatur. Nec intelligas, ut perperā à nõnullis intelligitur, uenā ſcilicet ſupprimendam eſſe quàm primùm ſanguis mutatur: quinimo, quū ſanguis uelociter, ualdeq; mutatur, indicat eſſe copioſum ſanguinē detrahēdum, donec ualde mutatus effluxerit, ſemper intelligas uirtute conſentiēte. quo fit ut in 11. de acut. uictu, hunc in modum Hip. ſcripſerit:
,, Interna cubiti uena ſecāda eſt, neq; dubites co-
,, pioſum detrahere ſanguinem, donec uel rubi-
,, dior multò, uel pro puro, rubidoq; liuidus ef-
,, fluxerit: utrunque enim accidere ſolet. Vult igitur Gal. in omni pleuritide, quando dolor aſcendit, & fomentis non ſedatur, ſecari uenam in flexu cubiti lateris patientis, ac expectari ſanguinis mutationem: quam licet optimum, ac tutius ſit expectari, quando phlegmone magna eſt, & prope uenam inciſam: non tamen exinde ſequitur, non eſſe bonum id fieri phlegmone parua exiſtente, in qua (tametſi non eſſet mutatio ſanguinis expectanda) uenæ tamen ſectio in flexu cubiti lateris dolentis fieri deberet. Nam licet Gal. & in trac.

in trac. de uenæ ſectione, & in I I. de acu. uictu, comm. X. uelit in dolore lateris interdum non eſſe mutationem ſanguinis expectandam, uel ob uirtutis imbecillitatem, uel ob phlegmones malignitatem: ſemper tamen uenam, quę intus in flexu cubiti lateris patientis, incidēdam eſſe docet: Id quod uniuerſaliter dixit Hippocrates, in omni dolore lateris aſcendēte, q fomentis non ſedatur, expectandā eſſe ſanguinis mutationem: inquit Galenus, optimū eſſe, quando phlegmone magna eſt, ac prope uenā inciſam. Vnde non poteſt inferri, quòd Hippocrates tantùm dixerit quādo phlegmone magna eſt: ſuprà enim declarauimus, in principio fluxus inuadente, increſcenteq́ phlegmone, atq; quū tota iam materia fluxit (ubi totū corpus euacuatum nō fuerit, & morbus nō ſit diuturnus) ſecandam eſſe uenā lateris patientis. Nihil etiā prohibet phlegmonem in principio magnam eſſe, cuiuſpiā alterius, quæ ſit in ſtatu, proportione. Quemadmodū enim febris acceſsio magna eſt, quando principium, incrementum, & uigor magna ſunt: pari modo principium, incrementum, & ſtatus magna ſunt in phlegmone magna. In principio itaq; magnæ phlegmones optimum eſt ſanguinis mutationem expectare, quamuis in phlegmone parua nō modò non expectemus ſæpe ſanguinis mutationem, ſed interdum neq; uenam incidimus, quum fo-

mentis nonnũquam dolor amoueatur, quando præsertim corporis non adsit plenitudo; quare phlegmone magna potest esse quãuis tota materia, uel pro maiore parte fluxa nõ sit. Ea propter quam dixit Hippocrates sanguinis mutationem semper expectandam esse, hanc Gal. intelligit, quando phlegmone magna est, uel in principio, uel in ascensu, uel in uigore. Cognoscimus autem in principio phlegmonem esse magnam, quando cum magnis inuadit accidentibus. Addidit quoq; Gal. in comm. x. secundi, de acu. uictu, Si uirtus id ferre posſit, qđ in quauis euacuatione subintelligi debet. Sunt qui tex. illum decimum Hippoc. ita legant: In-
,, terna cubiti uena secanda est, neq; dubites co-
,, piosum detrahere sanguinem, si rubidior mul-
,, to, uel pro puro, rubidoq; liuidus effluxerit.
Cuius erit intellectus, Secta uena, si magna fiet sanguinis mutatio, copiosum esse sanguinem detrahendum: magna uerò mutatio fieri solet, quando phlegmone magna est. Et hac de causa dixit Galenus, optimum esse in phlegmone magna prope incisam uenã extante, mutationem sanguinis expectare. Quocunq; modo textus legatur, responsio patet ad id, quod quarto loco fuerat adductum, neque enim si phlegmone magna est, necesse est maiorem materiæ partem ad eam defluxisse, neq; propterea quòd optimum sit in phlegmone magna, sequitur

quitur quòd inutile ſit in parua mutationem ſanguinis expectare, in qua nunquam non expectari debet uirtute conſentiente.

PRo ſolutione quinti, conſiderāda eſt Gal. ſententia quarto methodi medendi, non longe à principio, declarantis: ꝙ à cauſa externa, quæ morbū fecit, & abijt, nulla ſit à medico ſumenda indicatio, neq; curatiua, neq; præſeruatiua; ſed eius notitia, ad eos tantū effectus cognoſcendos, qui noſtrā notitiam effugiunt, utilis eſt. Ab ea uerò cauſa, quæ morbū adhuc facit, ſumendam eſſe indicationem, quæ licet (exactè loquendo) præſeruatiua ſit partis morbi futuræ, hanc tamen omnes curatiuam uocant. Vnde præſeruatio in duplici genere conſtituitur: in altero, quòd morboſum affectū iam præſentē ſummouet: in altero, quòd eum, qui nondum urget prohibet. Quæ in primo genere conſtituitur, uulgò ſanatio, & curatio dicitur: quæ in ſecundo, præſeruatio. eius autē uerba hæc ſunt: Quare dicere indicationem cu„ rationis ab externa cauſa ſumi modo eſt abſur„ dum. Quoniam ergo non ab hac, perſpicuum „ eſt ab ea, quæ præſens eſt, indicationem fore. „ At qualis tandē ea eſt indicatio? nempe ei qui „ exactè loquitur, quæ ad prouidentiā pertinet „ (prophylactricem Græci uocant) qui abuti uo„ cabulo uellet medicinalis, quandoquidē ipſo„ rum ulcerum, ſiue tantum ulcera ſint, ſiue etiā „

cum

,, cum cauitate, ſi quis diligenter æſtimet ex fu-
,, giendis, proſpiciendisq; ijs, quæ naturæ offi-
,, ciunt, ſanatio perficitur: & in ſumma in quibus
,, quid efficitur naturę ipſius opus eſt, ueluti ul-
,, ceris glutinatio, & impletio, in ijs ad eam, quæ
,, prouidet artis partē omnis pertinet cura: cæ-
,, terum ſanatio uulgò dicitur: ideoq; etiam hu-
,, ius, quæ prouidet, partis in altero genere con-
,, ſtitutum eſt, quòd morboſum affectū iam prę-
,, ſentem ſummouet, in altero quòd eum, qui nō-
,, dum uiget, prohibet: itaq; hic quoq; iuniores
,, medici de nominibus contēdere ſe non intelli-
,, gunt. Par autē erat, ſi de rebus ſtudioſi eſſent,
,, illud inueniſſe, duas eſſe functionū medici pri-
,, mas differentias: aut enim eos, qui nunc urgēt,
,, affectus ijs, quæ moliuntur, curant: aut eos, qui
,, non ſunt, fieri prohibent: ergo præſentes iam
,, affectus tollere, ſiue amouendis ijs, quæ naturę
,, opus impediunt, id fiat: ſiue per medicamentū,
,, quod ipſi moliuntur, omnes profectò homines
,, curare dicunt. Cauere autem ne accidāt, pro-
,, ſpicere, & ſanè ea, quę ſuccorū uitio ſunt exul-
,, cerata curāt hi, qui ratione, ac methodo artem
,, adminiſtrant, ſimul illos purgantes, ſimul ea,
,, quæ naturæ opus impediunt auferentes, quo-
,, rum utraq;, qui exactè loquitur prophylactica
,, uocat: uetant nanq; (ut in proximo oſtenſum
,, eſt libro) omnia talia, aut ſordem ulceri, aut hu
,, miditatem nimiam uitioſam'ue naſci. Non eſt

igitur

igitur de nominibus misere contendendum. „
Hæc Gal. Ex quibus clarè constat, quòd quẽadmodum purgare humores ad ulcus fluẽtes, omnes homines curare dicunt, licet exactè loquendo sit præseruare; ita per uenæ sectionem educere sanguinem ad phlegmonem fluẽtem, omnes homines curare nominãt, quamuis exactè loquendo sit præseruare. Et proinde uidemus Paulum Aeginetam, Auicennam, Rasim, & alios quoscũq;, qui de morborum cura scripserunt, in quo capite curam scribunt, in eodẽ causæ facientis amotionem docere, licet eius amotio exactè loquendo sit præseruatio. Fortè dicetur, quamuis plures eo modo, Hippocrates tamen aliter scripsit. Verùm si diligẽter animaduertant sic opinantes, inuenient Hippocratẽ in his, quæ scriptis reliquit, non solum quid agendũ sit in parte curatiua, ac pro morbi iam facti remotione, sed etiã quæ sint agenda in parte præseruatiua, & pro causæ faciẽtis remotione, atq; à parte morbi futura præseruatione docere. Siquidem IIII. de acut. uictu, tex. XXVII. anginæ curam ponens dixit: Itaq; „
celeriter iugulat, nisi protinus iuueris, sangui- „
nem ex brachijs detrahendo: deinde uenas sub „
lingua secare, medicamẽto, quod trahendi uim „
habeat, purgare, &c. Reflectatur igitur ratio, „
missio sanguinis ex brachijs ĩ angina materiæ fluenti debet, & est præseruatiua partis phleg-
mones

mones futuræ, igitur in libris de acut. uictu de ipsa Hippocratem loqui non fuit conueniens: docet enim locis illis uenā incidendam in actu curatiuo, & non quæ sit incidēda in actu præseruatiuo: nempe sicut in anginæ cura posuit in primis uenæ sectionem ex brachijs, deinde sub lingua: ita, si conueniens fuisset, in pleuritide dixisset, prius esse uenam lateris non dolentis, deinde dolentis incidendam. Galenus etiam testatur in commento Hippocratis totum corpus euacuare, & per uenæ sectionem, & per medicamentum quod trahendi uim habeat, retrahendi & repellendi gratia, retractio uerò fluenti materiæ conuenit, igitur Hippocrates non tantum dat præcepta, quæ materiæ fluxæ, ac parti solum exactæ curatiuæ conueniant. Præterea uenæ sectio in pleuritide, de qua secundo, & quarto de acut. uictu scripsit Hippocrates, est prima, quæ in pleuritide fieri debet, ut suprà dixi. Non intelligit igitur aliā præmitti debere, quam, ut breuiloquus, omiserit. Rursus quum Hipp. in IIII. de acut. uictu in principio curam febris ardentis posuit, non modo ea scribit præcepta, quæ parti exactè curatiuæ, ac febri factæ conueniant: sed & uomitum, & euacuationē cum clysteri, & cum lacte asinæ purgationem, quæ facientem caussam potius respiciunt, & à parte febris futura præseruāt: cur igitur nō sic faciet in pleuritide

de qua

de qua principaliter in his de uictu acut. libris scripsit? Amplius in tex. XIX. & XX. eiusdem quar. plures affectus enumerat, & phlegmones, in quibus statim à principio ante medicamentum purgans, missionem sanguinis iubet, quam constat non modo parti factæ, sed fluenti materiæ, ac parti affectus futuræ deberi. Dicāt, quęso, cur Hippocrates hic in omni phlegmone de quauis sanguinis missione ab initio fienda doceat, in pleuritide uerò tanquam breuiloquus unam omiserit? Ea quoq; fomenta, quæ in principio secundi, de acut. uictu docet, dolorem sedando, causam facientem, & augentem phlegmonem remouent, & parti phlegmones futuræ prouident, præsertim si uentositas inclusa causa doloris esset. Rursus in eodem quarto ponens curam febris, docet, quid à principio ad finem sit agendum. & text. XL. dixit: Qui uerò tenues urinas ab initio mingunt, medicamento purgandi non sunt: & si uideatur, clysterem exhibebis. Sed quid amplius in re tam clara immoror? non'ne Hipp. in principio II. de acu. uic. docet in dolore lateris fomenta in primis applicare, & ipsis dolorē non sedantibus immediate sanguinē mittere? & in IIII. lib. tex. LXXV. helleborum nigrum pleuritico in principio, quū incipit dolor, exhibere, dum dicit: Item pleuritico piper, ueratrum nigrum coquito, & in principio: Quum „ infestat

,, infestat iam dolor,dato. & in eodem IIII. tex. ,, LXXII. Medicamento quarta die purgare, ac ,, tribus primis diebus clysterem exhibere: licet Gal.in comm. non modo clysterem, sed medicamentum primis diebus exhibeat. Hippocrates etiam conuenientem in pleuritide dietam à principio ad usque finem ordinauit. Enimuero illud maxime mirari oportet,Hippoc.in lib.de acut.uic.quid in cura pleuritidis agendum sit, quoad dietam, fomenta, & purgationes docere: omittere autem uenæ sectionem tunc conuenientem. Quòd si dicta Hipp. in aph.considerare uoluerimus,inueniemus eum multa remedia ponere,quæ non modò parti exactè curatiuæ,sed & parti pręseruatiuæ,fluentique materiæ sunt accommodata: ut in XXXI.sextæ ,, partic. Dolores oculorum meri potio,aut bal- ,, neum, aut uenæ sectio, aut medicamentũ epotum soluit.Ex his (ut Gal.inquit in cõmento) influentibus adhuc humoribus in oculos tria conueniunt,balneũ scilicet, uenæ sectio,& medicamentum purgans. & in LXVII. quintæ ,, part. Dolente parte capitis posteriore in fron- ,, te recta uena incisa iuuat. Hanc uenæ sectio- ,, nem retractatiuã dicit esse Galenus cum eua- ,, cuatione.Plura similia possent adduci,sed hæc sint satis in re tam clara.

AD confirmationẽ sextæ suæ rationis dicitur,Hipp.quum tex.XI. præcipit medicinam

dicinam purgantem dari, intelligere in principio, & nõ in ſtatu, neq; materia digeſta: ut tex. LXXII. & LXXV. quarto de acu. uic. ſuprà patuit. Quo nanq; tempore pharmacum Hippo. dolore deſcendente, eodem, uenæ ſectionem aſcendente dolore præcipit, quando ſcilicet fomentis dolor non ſedat. Et in Anaxione pleuritico, tertio Epid. Hippocrates octaua die uenam ſecari iuſsit, quamuis digeſtionis notæ nõ niſi die fuerint decimaſeptima. cuius meminit Gal. I. de criſi. XVIII. & XII. cõm. primæ partic. aph. Non igitur in pleuritide iubet Hippocrates medicamentum purgãs, & uenæ ſectionem in ſtatu, quum materia eſt digeſta, ſed in principio, uel quando humores ſunt in fluxu nondum firmati, ut abunde ſuprà deductũ eſt. Ad tex. XIX. & XX. quarti de acu. uic. dicitur, Hippocratem eos reprehendere, qui inter initia morbi, non præmiſſa uenæ ſectione, phlegmones medicamento ſoluere conantur, & contra uidelicet naturæ uergentiã trahentes, quoniam quum aliquis affectus ſanguinis quidem miſsione, & purgante indiget medicamento, prius uena ſecari debet: tunc enim dempta uenarum plenitudine medicamẽti uirtus per uenas facilius penetrat, & minore negotio humores trahuntur. Et quia quę ducere oportet, quò maxime natura uergit, eò ducere, non cõtra motum naturæ, ſic enim facile ſine conatu

d fiunt

fiunt euacuationes. Quare quum in pleuritide, dolore descendente natura repat inferius, iubet Hippocrates dari medicamentum purgans inferius, in principio antequàm firmẽtur humores, & non præmissa sanguinis missione.

AD sextum dicitur, ut suprà dictũ est, eandem uenæ sectionem esse retractiuã, uel diuersiuam, & deriuatiuam: nam lateris dolore dextram partem occupante sectio uenæ, quæ intus in dextri cubiti flexu, retractiua & deriuatiua dicitur: Eò enim quòd materia, quæ à uenis magnis ad paruas, & à paruis ad phlegmonẽ mouebatur post factam uenæ sectionẽ, è contrario mouet̃ à phlegmone ad uenas paruas, & à paruis ad magnas, retractiua dicitur, quòd materiam ad contrariũ sui motus trahat, & hęc est retractio. Eo uerò quòd materia, quę per uenam cauam ascendens ad partem dextrã pectoris mouetur, ad dextri cubiti flexum trahitur, deriuatiua uocatur, quòd sui motus proportione materiã ad latus trahat. Sic ad mentẽ
here. Hipp. & Gal. suprà dicebatur, quòd retrahere
are. est ad contrarium motus materiæ, & deriuare ad latus eiusdem motus ducere. Quum itaque quæritur, de qua uacuatione loquatur Hip. dicitur, quòd de sectione uenæ in flexu cubiti lateris patientis, quæ & retractiua est, & deriuatiua. Quum dicitur, non potest esse retractiua, quia non trahit ad cõtrarium membrũ: respondetur,

detur, ut ſit diuerſiua ſatis eſſe quòd ad cõtrarium motus materiã trahat; ut ſæpe dictũ eſt. Ex his ſatis conſtare arbitror primos quinque modos interpretandi dicta Hippocratis falſos eſſe. Sextus uerò modus, qui de materia fluxa quarto de acu. uic. Hipp. interpretatur, ſatis eſt ex dictis reprobatus. Quum uerò dicitur XI. ſecundi Hip. loqui de uenæ ſectione lateris nõ patiẽtis, hoc abunde reprobatũ eſt ex his, quæ in prima Hipp. autoritate dicta ſunt, neq; uerũ eſt quod Gal. in quar. de acu. uic. LXIX. tantũ uelit Hipp. in quarto diſtinctius q̃ in ſecundo loquutum eſſe: Quinimò clare dicit eum adiunxiſſe in quarto, quod omiſerat dicere in ſecundo: quod tamen ex dictis in eodem ſecũdo fuerat intelligendũ. addit autem in quarto ſecandam eſſe uenã, ex ea qua dolor afficit parte: igitur iſtud idem ſubintelligi debet in ſecũdo, ut ſuprà multipliciter eſt oſtenſum. Autoritas Galeni ſecundum antiquam traductionem, ſuper qua hic modus fundatur, nihil ſibi ſuffragatur, quia tex. Gręcus ſic habet: Φλέβα χρὴ τέμνειν ἐν ἀγκῶνι τὴν μᾶλλον τε καὶ θᾶττον ἀπὸ τοῦ πεπονθότος μορίου, δυναμένην ἀντισπᾶσθαί τε καὶ κενῶσαι τὸ αἷμα. Id eſt, Venã oportet ſecare in brachij flexu, plus & citius à laborante particula potentem diuertere, & euacuare ſanguinẽ. Quòd ſectio uenæ lateris patientis diuertat ſanguinẽ fluentem ad phlegmonẽ, ſuprà oſtẽſum eſt in ſextæ

rationis responsione. Quòd uerò plus euacuet à parte læsa, quàm sectio uenæ lateris non patientis, pro confesso habetur. Antiqua traductio loco huius dictionis diuertere, habet ad
re. contrarium partis ad quam declinat: quia diuertere, est ad contrarium sui motus trahere, ut suprà probatum est. Hæc itaque traductio, quum dicit, ad contrarium partis, ad quam declinat, nihil aliud intelligit, nisi ad contrarium sui motus. Patet autem ex dictis uenæ sectionem affecti lateris influentem ad phlegmonem sanguinem, ad contrarium sui motus trahere; quia fluentem à maximis uenis ad magnas sanguinem, à magnis ad paruas, à paruis ad phlegmonē retrofluere facit, à phlegmone ad uenas paruas, & à paruis ad magnas. Quòd per uenæ sectionē sanguis retro trahatū, nemo est qui dubitet: & proinde morbillis apparentibus, missio sanguinis est suspecta, timentibus nobis, ne malæ materiæ per cutim exeūtes retrocedāt: Quòd uerò materia, quæ uenas exiuit, in uenas retrocedere possit, clarè scripsit Gal. in quar. de Tuēda sanitate, in cura lassitudinis, quæ ueluti phlegmone fatigat, ubi post factam primam sanguinis missionem, reddens rationem, cur secundo loco sit sanguis mittendus, dicit: Quoniam igitur in hac, quæ ueluti phlegmone fatigat, lassitudine, uis calidi sanguinis congesta in corporis mole est, uenæ autem

tem ſectio ſuccos è uaſis emittit, utile eſt poſt priorem detractionem tantiſper intermittere, dum aliquid eorum, qui in corpore ſunt, humorum remigret ad uenas: quod tamen quoniam committẽdum non eſt, ut in ijs maneat, utpote ex dimidio corruptum, ſed potius plurimum eius expellatur, idcirco detractionẽ ſanguinis etiam ſecunda die iteramus. Propterea Gal. in princip. huius x. cõmenti dicit, Hipp. euacuare humores phlegmonem facientes ſecundum eorum inclinationẽ, iuxta illud, quò maxime natura uergit per loca conferentia, eò ducere: & proinde, dolore deſcendente, quia natura repit inferius, medicamẽtum iuſsit exhiberi per inferius purgans; dolore uerò aſcendente, quia tunc natura ſuperius repit, iuſsit uenæ ſectionem in brachio, quæ ſanguinẽ ſuperius educit. Si igitur ſecundum inclinationẽ humorũ uacuationẽ facit, cur natura uerſus dextrũ mouente non eſt ſecanda uena in cubito dextro? & ea uergente ad ſiniſtrum, in cubito ſiniſtro? Nempe ſi uoluiſſet Hipp. ad longinquum retractionẽ facere dolore aſcendente, medicamẽtum inferius trahens, & dolore deſcẽdente uenæ ſectionẽ in brachio quæ ſurſum trahit, præcepiſſet: melior enim & longinquior retractio fit à ſurſum deorſum, & è contrario. Relinquitur ex his perſpicuũ uoluiſſe Hipp. 11. de acu. uic. text. x. ſecandam eſſe uenã in cubito late-

ris patientis, quæ & plus, & uelocius alijs uenis à loco læſo retrahat & euacuet. Tertius dicendi modus tollitur, quia licet Gal. in procemio quarti, de acu. uic. totum librũ non eſſe legitimum Hipp. aſſeueret, pollicetur tamen in expoſitione ſua ſe declaraturũ qui ueri, & qui non ueri ſint Hippocratis textus, & LXIX. dixit eſſe legitimum: In X. uerò ſecũdi libri tex. quamuis non expreſſerit, ex qua parte ſit incidenda uena: ex dictis tamen ſuis incidendã eſſe in cubito lateris patientis intelligere oportet: ut abundè ſuprà declaratum eſt: De his qui in octauo, & ultimo dicendi modo Hippocrati, Galenoq́ detrahũt, ea dicenda cenſeo, quæ de Theſſalo dixit Gal. in I. de morbis curandis: Certè uel tantam doctrinam non nouerũt, uel eorũ ſtupiditatem admirari oportet. Iis uerò, qui neſciẽtes quid dixerim, me calumniantur, nihil aliud reſpondendum arbitror, niſi quòd aliorum cenſores, qui neminem non laceſſerũt, canibus æquiparandos ſemper eſſe putaui, qui pro ſua cõſuetudine in bonos & malos latrãt. Pro eo quod de Anaxione pleuritico dicunt, qui eſt octauus ægrotus ab Hippocrate tertio Epid. deſcriptus uariæ potuerunt eſſe cauſæ, cur non in principio, ſed octaua die miſſus fuerit ſanguis, quamuis Hip. in II. de acut. uic. regulam poſuerit, quando ſcilicet fomentis dolor non ſedatur, protinus incidendam eſſe ue-

nam

nam, uel medicamentum purgans exhibendū, & non diu fomentis calefaciendum. Sed ut omnia clarius intelligātur, Hippocratis textus unà cum Gal. cōmento adducentur: In Abderis Anaxiona, qui iuxta portas Thracias habitabat, febris acuta inuasit, lateris dextri dolor continuus, tussis sicca, neq; primis diebus expuebat, sitibundus, peruigil, urinæ bene coloratæ, multæ, tenues: Sexta die delirauit, neq; calefacientia aliquid proficiebant: Septima die magis laborabat, quia febris intēdebatur, neq; dolores cōminuebantur, & tusses infestabant, & difficulter spirabat: Octaua uenam in cubito secui, sanguis multus fluxit, & qualis oportuit: dolores aliqua ex parte cessarunt, uerùm tusses siccæ subsequebantur: Vndecima die febres decreuerunt, parùm circa caput sudauit, tusses & quæ à pulmone humidiora: Die decimaseptima cœpit paucum quid coctū expuere: Vicesima die sudauit, & desijt febricitare, post crisim leuatus est, & siti præmebatur, & quæ ex pulmone purgationes non erāt admodum bonæ: Vicesimaseptima die febris redijt, tussijt, multa concocta educebat, urinis plurimum sedimen album, sitis cessauit, & bene spirabat: Trigesimaquarta die sudauit totus, & post crisim omnino ex febre conualuit. Galenus in hoc solo ægroto ex omnibus, quos in primo, & tertio descripsit Hippocra-

tes, incisionis uenę mentionem fecit, non quòd huic soli sanguis uena secta missus fuerit, sed quòd huic soli octaua die, medicis tanquam legem quandam habentibus, ut post quartam diem sanguinem non mittant. Quandoquidem igitur huic octaua die sanguis missus est, multo magis aliis, qui hoc auxilio eguerunt missum fuisse putandum est secunda, tertia, quartáue die; sed hæc, uti multa alia, prætermisit Hippocrates. Et si in quibusdam adiumenta scribit, facit ut morbi malignitatem nihil adiumenta, profuisse iudicet, non enim illi propositum fuit curandi, sed præcognoscendi modum scribere. In quibusdam uerò neque à principio uidetur adfuisse ægrotis, interdum tamen in finem usque adscribit; Vnde ego uidi hoc uel illud alicui perfectè euenisse. His autem, qui horum languentium utilitatem nouerunt, à me in primo de iudicationibus demonstrata fuit: ubi quomodo quis malum penitus indigestum dignoscat, quóue modo quando digeri incipit, proceditque digerendo, perfectéque digestum est, conatus sum demonstrare. Nam hic Anaxion quoad tussiuit, & nihil omnino expuit, dolorem lateris indigestissimum habebat. Die uerò undecima, quum spuere cœpisset, morbum digeri ostendit: deinde procedente tempore paulatim circiter septimam, & uicesi-

mam

mam diem, sic scripsit Hippocrates, digesta ,,
multa emisit lotijs, alba hypostasis fuit, pro= ,,
pterea quarta, & tricesima perfecte iudica= ,,
tus est. Ex his clarum est, quòd huic solo ægroto missus est sanguis octaua die, alijs autem indigentibus hoc auxilio secunda, tertia, uel quarta die: Causa cur huic ægroto missus fuerit sanguis octaua die, multiplex esse potest, tum quòd à principio non fuerit Hipp. apud hunc ægrotum, ut innuit Gal. in commento: tum quòd æger ipse, uel astantes à principio uenæ sectionem non admiserint: tum quòd in hac pleuritide materia ualde crassa, uiscosaq; fuit, quæ pro sui subtiliatione multis fomentis indigebat, ut eductioni fieret habilior, maximè quum dolor ex fomẽtis non increſceret, neq; morbus ipse, cuius accidentia tãtum die septimo uisa sunt augeri. Materiam fuisse ualde crassam & uiscosam ea ratione dignosci potest, quòd ad undecimum usq; diem nihil expuit: quod esse nõ potest, nisi ex materiæ crassitie, aut uiscositate, ac tunicæ costas subcingẽtis densitate, ut colligitur à Gal. in commento XII. aph. primæ part. His qui dicũt ingenium diuertendi non fuisse Hipp. & Gal. notum, dici potest, suum ingenium diuertẽdi, quod à parte phlegmone laborante nihil euacuat, ab Hipp. atq; Gal. non esse probatum, quoniam in principio phlegmones intentio est non solùm di-

uertendi, ſed à loco læſo euacuandi; & ideo ſuprà dicebatur de mente Galeni in commento ſecundi de acut. uic. ſecandam eſſe uenam, quæ plus, & citius retrahat, & euacuet à loco læſo. Superfluum puto hîc enumerare loca in quibus Hipp. & Gal. de retrahendi loquuntur ingenijs: Etenim contra quomodolibet afferentē contraria ſollicitum eſſe, ſtultum eſt, ut primo Topic. ait Ariſt. Dicentes medicinam Hippocratis & Galeni tempore debilem & imperfectam fuiſſe, Galenum ſexto de morbis curandis, audiant dicentem: Ego nanq; non eo con- ,, ſilio, ut nemo Hippocratis libros legat, ad hoc ,, opus ſcribendum acceſsi; uerùm quoniam is ,, mihi primus idonea uſus eſſe uia uidetur, nec ,, tamē eam totam compleuiſſe, quum quædam ,, minime limitata, quædam imperfecta, obſcu- ,, raq; ab eo prodita inuenire liceat; idcirco ipſe ,, tum omnia ea lucide explicare, tum quæ defi- ,, ciunt ſupplere ſtudui. & proinde artem pul- ,, ſuum, de quibus Hipp. non ſcripſit, in XVI. libris exactiſsimè perfecit. Non eſt tamen quòd de his ualde miremur, ſiquidem nonnulli ſunt temeritate, & quidem maxima præditi, qui ut ſcire multum uideantur, quod ignorant, ſcribunt; imò, quod deterius eſt, doctrinam corripiunt, putantes ſe magni aliquid egiſſe, ſi aliorum ſcripta, quæ non intelligūt, perperam deprompta fuiſſe autument: ex quorum numero

ſunt neoterici quidam ad nihil aliud, quàm ad latratum geniti, qui in ſummis os ponentes, Galenum,tanquam ſibimet ſæpiſsime contradixiſſe,arguunt: Sed cur tantum ſibi arrogāt, ut uirum doctiſsimum, & in omni doctrinæ genere ſcientiſsimū taxare audeant: cuius non fuiſſent digni corigiam calciamēti ſoluere:qui dum eius imperitiam inſimulant, ſe literarum ignaros prorſus oſtendunt, adeò ut quicquid in literatorum omnium lumen iniquè moliuntur, id ſibi dedecori, ignominiæq́ cedat. Hæc de Hippocratis autoritatibus: nunc ad Galenum accedamus,de cuius opinione, licet apud mediocriter eruditos dubitare non contingat, ob pertinaces tamen eius mentem declarare non grauabor.

GAlenus in tractatu de curādi ratione per ſanguinis miſsionem,in principio,dicit ſe uelle principaliter in eo trac.conſyderare,quæ corporis affectiones euacuatione indigeant, quæ ſanguinis miſsione,qui ſanguinis miſsionem innoxie ferre poſsint,quæ uenæ ſecandæ ueniant,an nihil referat,quam quis ſecare uenam uelit, credens omnibus æquè affectibus prodeſſe, an ſicut Hippocrati, ac medicorum clariſsimo cuiq́ uiſum eſt,multū interſit,hanc, uel illam incidas: quibus rebus quis animum attendens,euacuationis quantitatē coniectura queat aſſequi,in quibus ſemel auferre præſtet,

in qui

in quibus uerò repetitam facere ablationem expediat, & in quibus demum inanire ad animi conueniat deliquium, in quibus autem id tanquam summum malum uitandum. Hæc omnia prospicere necesse esse, dicit, qui probè misione sanguinis uti uolet. Ex his quæ de uenis secandis proponit consyderanda, planè constat non ex accidenti, sed primaria intentione, quæ uena sit in quocunque affectu potius incidenda, ipsum consyderare, & quum hanc
,, exequitur partem, sic habet: Quæcunque igitur
,, de hoc schemate, siue speculatione à medicis
,, dicta sunt, ea si scribere aggrediar, opus erit li-
,, bro ijs sigillatim dicato, eoque ingenti. Cæterũ
,, quemadmodum in alijs, quæ hactenus definita
,, sunt effeci, ut scilicet mentem meam uobis ex-
,, ponerem, qui eam à rebus ipsis probari uidi-
,, stis, idem nunc quoque faciam sumpto initio ab
,, his, quæ quotidie in laborantibus uidẽtur, quę
,, quidem Hipp. diligenter obseruata memoriæ
,, prodidit, est uero eorum unum primariumque
,, caput hoc, scilicet quibuscunque κατ' ἴξιν eruptio
,, sanguinis accidit, summum id commodum la-
,, borantibus affert (hoc autem κατ' ἴξιν quòd in
,, rectum intelligatur, omnibus confessum est,
,, quũ clarisime sæpenumero hac uoce κατ' ἴξιν
,, in hoc utatur significato) Quibus uerò cõtrà
,, euenit, nihil iuuat, aut etiam interdum nocet,
,, quòd uires scilicet citra morbi leuamen deij-
ciat,

ciat, atq; exſoluat. Non enim in liene turgente ,, ex dextra nare erumpẽs ſanguis, nec in iecore ,, ex ſiniſtra ullam fert utilitatem: ſed reuulſio, ,, quibus in directum adhibetur, euidentem uti- ,, litatem celeriter oſtendit: quibus contrà, haud ,, etiam. Dextra igitur nare ſanguis erumpens, ,, ad dextrum hypochondrium fixa cucurbitula ,, clarè, celeriterq; ſiſtitur: ſicut ad ſiniſtrum, ex ,, ſiniſtra erumpens. Porrò reuulſionis cauſa ſi ,, uenam ſeces indirecte quidem oppoſitis ſan- ,, guinis eruptionibus, citiſsimè conſpicuam ui- ,, debis utilitatem: at ſi cõtrà ſeces, nihil profue- ,, rit: ſic affecto liene haud æquè adiuuerit circa ,, medium digitum ſiniſtræ manus inciſa uena, ,, atq; ſi internam cubiti ſecueris: multum enim ,, iuuat afflictum lienẽ ſanguinis ex ſiniſtro bra- ,, chio detractio. præſtat autem non ſemel quan- ,, tum conueniat extraxiſſe, ſed in duos dies id ,, partiri ſatius eſt. Inuenire tamen nequeo, quã- ,, obrem medici lienoſis ſanguinem detrahere ,, neglexerint, ſiquidem ego ingentem perpetuò ,, utilitatem prouenire cõſpexi, ſi uel libra dun- ,, taxat una detracta foret, uacuationis autem ,, menſura ex dictis ſcopis conijcienda eſt. Quin ,, & pleuriticis, quæ è directo laborantis lateris ,, adhibita fuit ſanguinis miſsio, clariſsimã ſæpe ,, utilitatem attulit, quæ uerò ex brachio oppo- ,, ſito, aut omnino obſcuram, aut certè poſt tem- ,, poris interuallum. Ad hæc oculorum perſępe ,,

dolores

,, dolores grauissimos è directo uenæ, quam humeralem uocant, sectio intra horæ unius spatium compescuit. Conari autem in omnibus affectibus præstat post modicā sanguinis missionem iterato mittere, interim eodem die, si ita expedire uideatur, interim postridie, nisi si quando(ut antè dictum est)ad animi deliquiũ euacuationem ducere conueniat. Itaq; dolentibus oculis, humeralis uocata uena, quæq; ex ea deriuata est in cubito incisæ, luculētum celeriter commodum adferunt. Dolente uerò latere, aut pulmone, aut septo transuerso, aut liene, aut iecore, aut uentriculo, ea quæ per alas ad cubiti iuncturam pertingit. Et nonnullis interiectis, subdit: Sed eas certè, quæ in rectũ sunt affectis. Porrò tam perspicuum sæpe, celereq; remedium, quæ è directo affectis partibus uenæ secantur, afferunt, ut & qui patiuntur, & familiares ipsorum sæpenumero obstupescant. Post hæc, historia curæ per sanguinis missionem factæ interposita, dicit: Hæc itaque narratio utriusq; indicationem continet, tum quòd in affectionibus eiusmodi uenam secare oporteat, quod in præsenti oratione propositũ nobis haud erat: Tum quòd è directo laborantium partium: Prætereà humerales uenas secandas, ubi superiores pectore partes laborāt. Porrò quemadmodum prædictæ omnes partes in cubito secta uena iuuantur, uti dictum
est,

eſt,ſic quæ his inferiores ſunt;illis quæ per po ,,
plites,& malleolos decurrunt. Sunt dictis in⸗ ,,
feriores coxendix,uterus,ueſica. At renes,cui ,,
parti adſcribi debeant,ambigunt:ſiquidem in⸗ ,,
feriores ſunt his,quas prius recenſuimus, ſu⸗ ,,
periores uerò quàm hæ, quas ſecundo loco. ,,
Itaq; miſſo ex cubito ſanguini interdũ auſcul⸗ ,,
tant, ubi uidelicet recens fuerit phlegmone, ,,
copiaq; ſanguinis adfuerit. Quibus uerò affe⸗ ,,
ctio ineſt,quam propriè Nephritim nominãt, ,,
eam quæ in poplite eſt,ſecare expedit,aut cer⸗ ,,
tè quæ in malleolis ſunt. Porrò uteri inflam⸗ ,,
mationes magis etiam quàm renum à uenis in ,,
crure ſectis iuuãtur. Et quibuſdam interpoſi⸗ ,,
tis ſubiungit:Porrò,ut ſummatim dicam,inci⸗ ,,
pientes phlegmones reuulſu euacuare opor⸗ ,,
tet.Quæ uerò inueteratæ ſunt,ex ipſis (ſi fieri ,,
poteſt) affectis partibus.Quod ſi nequeat,ſal⸗ ,,
tem ex uicinis.Etenim incipientibus,auertere ,,
quod influit, expedit. In inueteratis autem, ,,
ipſum tãtum quod affectæ parti infixum,eua⸗ ,,
cuare: Euacuabitur porrò id optime per ue⸗ ,,
nas deductas ab his,quæ in partibus ipſis ſunt ,,
ſitæ.Huic rationi experiẽtia quoq; ſubſcribit. ,,
Quocirca,qui in gutture,& arteria graui tor⸗ ,,
quetur inflãmatione,in principio quidẽ aperta ,,
in cubito uena,poſt principium autem,in ipſa ,,
lingua magnificè prodeſt, inciſis uidelicet ue⸗ ,,
nis,quę in ea ſunt ambabus.Sic induratę phle⸗ ,,

gmonarum

,, gmonarũ in oculis reliquiæ, ſecta quæ ad ma-
,, gnum decurrit angulum uena, mirificè iuuan-
,, tur. Sicut capitis grauitates, & inueteratos in
,, eo ex plenitudine dolores leuare manifeſtè ſo-
,, let tuſa in fronte uena. At incipientes, aut etiã
,, uigentes per cucurbitam in ceruice procurata
,, retractio, interim quidem ſolam, interim cum
,, ſcarificatione. Cæterum præeuacuatum eſſe
,, corpus uniuerſum oportet. Eadem ratione in-
,, cipientes in occipitio dolores, aut etiam uigẽ-
,, tes, inciſa frontis uena, iuuat. Quippe reuul-
,, ſiones cum euacuatione adhiberi magis debẽt
,, in fluxionibus incipientibus. Quæ uerò fiunt
,, ex ipſis partibus affectis, aut illis uicinis in
,, phlegmonis, quæ uelut ſcirri naturã referunt,
,, &c. In hac parte clarè Gal. oſtendit quacunque parte noſtri corporis intrinſeca phlegmonem contrahere incipiente, quæ uena ſit incidenda, & ubi aliqua ſic affecta parte uariæ uenæ ſunt incidendæ, id etiam apertiſsimè declarauit. Nã renibus phlegmonem contrahere incipientibus, uena cubiti ſecari poteſt: ſubinde uena, quæ in poplite eſt, uel malleolis. Gutture, uel aſpera arteria ſic affectis in principio ex uena cubiti, paulò pòſt ex uenis ſub lingua dicit eſſe mittẽdum ſanguinem. Oculis ſic afflictis, primò uena cubiti, mox, quæ ad magnum decurrit angulum, eſt incidẽda. Anteriore parte capitis dolente, in primis totum corpus eua-

cuare

euare docet, deinde cucurbitulam in ceruice ponere, interim quidem ſolam, interim cum ſcarificatione, deinde uenam in fronte ſecare. At poſteriori parte capitis dolente, totũ prius corpus euacuare, ſubinde frontis uenam ſecare, demum cucurbitulam ceruici apponere. Quum igitur primus Galeni ſcopus in hac parte ſit oſtendere, in quolibet morbo miſsione ſanguinis indigente, quæ uena ſit incidenda ante principium, in principio, & in ſucceſſu, idq́ in quauis exequatur parte patiente, nemo ſanæ mentis dicere poterit Gal. hic de miſsione ſanguinis in pleuriticis incidenter ſcribere, uel eſſe dicta ſua intelligenda, quando materia fluxa eſt: imò antequàm morbus incipiat, & antequàm incipiat materia fluere, docet in quolibet affectu, quæ uena ſit incidẽda, ut patet in autoritate ſuprà adducta, quæ ſic habet: In quibus autem corporibus nulla dum particula affecta eſt, &c. Quod hic principalis intẽtio ſua ſit declarare in quocunq; affectu, quæ uena ſit incidẽda, præter hoc quod expreſsius hic dicere non potuiſſet, idq́ ſeries ipſa oſtendit. XIII. de morbis curandis idem lucidè repetit, quum dicit: Cæterùm an interna, an me- ,,
dia, an humeralis ſecanda ſit, an ea, quæ iuxta ,,
malleolum eſt, an quæ in poplite: id uerò ex ,,
laborãte particula iudicatur, ac definitum iam ,,
eſt in ijs, quæ de incidenda uena ſcripſimus, de ,,

,, euacuationibus id genus omnibus; diceturq́ue
,, nunc, quantum ſit ad rem propoſitam oppor-
,, tunum. Quòd autem non intelligantur dicta ſua de materia fluxa, illud meridiana luce clarius oſtenditur: quòd de phlegmone in renibus, in oculis, in gutture, & de dolore capitis, & de omni phlegmone tractatur ante principium, in principio, & totius morbi ſucceſſu. Et XIII. de morbis curandis, ubi ſimilem ſententiam ponit (ut infrà patebit) eaſdem uenas, de quibus hic dixit, uoluit eſſe ſecandas quacunq; parte incipiente phlegmonem cõtrahere. Siquis autem ad tantum ſtupiditatis deuenerit, ut dicere audeat, Galenum hic in omni alio affectu intrinſeco, cui ſanguinis miſsio ſit opportuna docere, quę uena ante principium, in principio, & ſucceſſu ſit incidenda: in pleuriticis uerò duntaxat docere, quæ uena ſit incidenda, quando materia fluxa eſt, meritò irridendus eſt, cuius ſtupiditatem ne Mercurius ipſe cum Muſis ſanauerit. Non deerunt fortè ſophiſtæ, qui dicant, Galenum hic uelle, quod in pleuriticis in principio ſecanda ſit uena, ſecundum patiẽtis lateris rectitudinem; Verùm patiente latere dextro, uena brachij ſiniſtri ſecundum rectitudinem eſt lateris patientis: Siniſtra nanq; dextris oppoſita ſunt è directo: Et è contrario patiente ſiniſtro latere dextri brachij uena ſecundum rectitudinem erit lateris patientis.

patientis. Ita enim secundum lineam rectam sinistris dextra sunt opposita, sicut inferioribus superiora. Præter hoc, quod ostendunt, sic dicentes, Hipp. & Gal. se non uidisse, rationem reddere non possunt, cur hepate phlegmone laborare incipiente uena brachij dextri sit secundum partis patientis rectitudinem, & non uena sinistri brachij: Quod clare dixit Galenus XIII. de morbis curãdis, ubi posteaquàm in phlegmone oris, gutturis, iecoris, pectoris, pulmonis, renum, uesicæ, pudendi, & uteri dixit, quæ sint incidẽdæ uenæ, subdit: Ac perpetuò quidem in omnibus, quæ è directo est. Vbi iecur phlegmone inuadit, quæ in dextra sunt manu: ubi lienem, contrà. Porrò quia rectitudo nostri corporis est secundum longitudinem, & in nobis longitudo duplex est, dextra scilicet, & sinistra: duplex quoque rectitudo dextra, sinistraq́; erit. Et quemadmodum cuncta, quæ in parte sunt dextra, in eadem longitudine esse dicuntur: sic ea omnia in eadem, uel secundum eandem rectitudinem esse dici debent. Idcirco Galenus quinto de util. part. cap. 14. octo uentris inferioris musculos enumerãs, dicit: Recti quidem secundum longitudinem animalis duo nati sunt à pectore, usq; ad ossa pubis extensi, secundum medium totius uentris: Transuersi alij duo secundum latitudinem rectum ad prædictos operantes

 angulum:

angulum: alij uerò quatuor obliqui. Clarè Galenus hîc pro eodē habet dicere, duos primos musculos esse rectos, & secundum longitudinem: tanquam idem sint rectitudo & longitudo. Qui uerò secundum latitudinem procedunt, transuersi uocantur. Vnde in pleuritide dextri lateris uena sinistri cubiti potius secundum transuersum, quàm secundum rectitudinem dici debet. Cōsimiliter in secundo de Tuēda sanitate distinguens frictionis modos,
„ dicit: Variæ autem quammaximè ex manuum
„ iniectu, circumactuq; frictiones esse debebūt,
„ nec supernè modò deorsum, aut infernè sur-
„ sum adhibitæ: sed etiā tum in subrectum, tum
„ in obliquum, tum in transuersum, tum in sub-
„ transuersum: Voco transuersum, quod recto
„ est contrarium. Id Græcè ἐγκάρσιον appello.
„ Subtransuersum uerò, quod paululum ab hoc
„ in utranque partem declinat, quod σίμον dico.
„ Rursus subrectum, quod à recto paululum
„ utroq; uersus recedit. Obliquum quod recti
„ transuersiq; planè est mediū, illud πλάγιον, hoc
„ λιοξὸν Græcè nomino. Clarè Gal. hic habet pro eodem frictiones esse supernè deorsum, aut infernè sursum, quæ sunt secundum longitudinem, & eas esse rectas, tāquam idem sint rectitudo & longitudo. Quare iecore patiente, si uena sit incidenda, quæ sit secundum rectitudinem iecoris patientis, id est, quæ sit in eadem rectitudine,

rectitudine,ſeu longitudine, in qua iecur collocatur,uena brachij dextri,& non ſiniſtri erit incidenda. Pari ratione in pleuritide dextri lateris,uena ſecūdum rectitudinem, id eſt,in eadem rectitudine,in qua latus patiēs exiſtit,eſt dextri brachij uena:Eodem quoque modo de phlegmone lienis, & ſiniſtri lateris pleuritide reſpectu uenæ ſiniſtri brachij dicere debemus. Omnia nanque in parte ſiniſtra poſita,in eadem longitudine & rectitudine eſſe dicuntur. Et proinde, ſi per loca diſcurramus, in quibus Hip.& Gal.utuntur hac dictione κατ' ἴξιν, uel κατ' εὐθὺ, uel ſecundum rectitudinem,ſemper inueniemus ab ipſis ea dici ſecundum rectitudinem alicuius membri, uel partis, quæ cum ea parte ſunt in eadem, uel dextra,uel ſiniſtra longitudine, rectitudineque. In tractatu de ratione curandi per ſanguinis miſsionem ſcribit
Gal. Cæterùm non contemnenda uenæ ſectio ,,
eſt,tanquam ſit auxilium reuulſorium, quum ,,
me ſæpenumero conſpexeritis inualida ſan- ,,
guinis ex naribus eruptione eo uſu, repente ,,
fluxionem ſedaſſe. Expedit autem,ut uidiſtis, ,,
non expectare, donec uires ad extremum ca- ,,
ſum deueniant:Sed quū uidetur idonea quan- ,,
titas euacuata, perſeuerante ualida ſanguinis ,,
eruptione,ſecare cubiti uenam,dextri quidem ,,
brachij,ſanguine de nare dextra profluente:ſi- ,,
niſtri uerò, de ſiniſtra. Item in libro de morbis ,,

curandis quinto, eandẽ ob cauſam, quum è naribus ſanguis erumpit, id retinent magnæ in præcordijs defixæ cucurbitæ; Inſigẽdæ autem ſunt, ſi ex dextra nare profluit, ſuper iecinore: ſi ex ſiniſtra, ſuper liene; ſi ab utraq; nare, ſuper utroq; ſunt imponendæ uiſcere: quòd ſi reſolutus adhuc æger non ſit, etiã uena ſub eo cubito incidenda eſt, quæ profuſioni è directo reſpondet. Ex his conſtat, quòd naris dextra, & cubitus dexter, nõ autẽ ſiniſter è directo ſunt, id eſt, in eadem rectitudine. Quare Gal. I I. ad Glau. de utero loquẽs: Et ſi quidẽ in parte dextra locorum paſsio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris ſanguinẽ: ſi uerò in ſiniſtra, à mẽbris, quę illi è directo ſunt: quod eñ ab ipſo κατ' ἴξιν, dicitur, hoc ipſum eſt ſecundũ æqualitatẽ. Ex hoc loco intelligitur dextrã partẽ uteri è directo eſſe & cruri, & manui dextræ; ſiniſtrã uerò, ſiniſtræ: & quod idem eſt, unã partẽ alteri è directo eſſe, & in eadẽ cum ea rectitudine longitudineq; eſſe. Nec ratio diuerſitatis aſsignari poterit, cur dextrũ crus ſit ſecũdum rectitudinẽ dextræ partis uteri, & brachiũ dextrũ nõ ſit ſecundũ rectitudinẽ dextræ partis pectoris. Sed quid amplius in re clara laboramus? Gal. in quar. de acut. uictu, commento LXIX. ſuprà adducto clarè uoluit hæc duo æquipollere, in pleuriticis ſecare uenã ſecundũ rectitudinẽ lateris patiẽtis, & ſecare uenam ab ea qua

ea qua dolor afficit parte, unumq́ per aliud interpretatur. Hipp. quoq́ VI. epidi. part. II. & Gal. in cōmēto sæpe utūtur hac dictiōe κατ' ἴξιν in ea, quā diximus, significatione, quæ breuitatis causa nō adducūtur. Infrà, quū ponetur opinio Haliabbatis declarabitur, quòd secare uenam secundū rectitudinē partis patientis, non modò includit quòd sectio sit ex eadem parte dextra uel sinistra, sed quòd in uena sit, loco læso magis cōmunicante. Non deerunt fortè qui partē illam autoritatis adductæ, in fauorē suū capiāt, quū dicebatur: Porrò ut summatim dicam incipiētes phlegmones reuulsu euacuare oportet, & reliqua, dicentes in principio phlegmones secandam esse uenā cubiti lateris non dolentis ad reuellēdum quando materia fluit: Fluxa uerò materia lateris affecti, uenā secādā esse, quæ parti uicinior est patiēti. Nō aduertūt isti ꝙ uenę, quas incidi ꝓhibet Gal. in prin. materia fluēte, non uenæ cubiti, sed uenæ sunt parti patiēti ualde uicinæ; sicut in angina uenę sub lingua; ĩ ophtalmia uenæ quæ sunt ĩ angulis oculorū. Simile foret in pleuritide in prĩcipio lateri dolēti cucurbitulas apponere cū scarificatiōe, ac iecore, & liene patiētibus pari modo cucurbitulas applicare. Hāc plane similitudinē ponit Gal. in II. de arte curatiua ad Glau. quū dicit: Igit̃ in synāchicis eas, quę sub lingua sunt ĩcidimus uenas, & reliqua, quæ suprà sunt adducta.

adducta. Nam licet in dolore lateris cucurbitula cum ſcarificatione lateri dolenti ſuperpoſita reuelleret, quod ab intus ad extra traheret; quia tamen loco ualde uicina patienti foret in principio, quum materia fluit, eius uſus prohibetur. Suprà declaratum eſt uenæ ſectionem in cubito ſecundũ rectitudinẽ lateris patiẽtis euacuare, & à loco ipſo reuellere. Id quod
" dicit Gal. quũ ait: Incipientes phlegmones re-
" uulſu euacuare, id eſt, & reuellere, & euacuare.
" Quæ uerò inueteratæ ſunt, ex ipſis, ſi fieri po-
" teſt, affectis partibus: quod ſi nequeat, ſaltem
" ex uicinis. Quare quũ in angina non liceat in gutture, aut trachea arteria uenã incidere, uenas ſub lingua ſecamus. Et in oculorum phlegmone, quia nõ licet ex oculo, uenã incidimus in angulis. Et in paſsionibus iecoris, aut lienis, quum non liceat in ipſis, in eorum regionibus cucurbitulas applicamus cum ſcarificatione. Sic in dolore lateris, quum non liceat ex tunica ſubcingente coſtas educere, lateri dolenti cucurbitulas applicamus cum ſcarificatione, quando paſsio eſt inueterata. In principio autem ſecta uena in cubito lateris dolentis, & retrahimus, & euacuamus. Non enim in hoc caſu tantum retrahere intendimus, quod etiam ſi intenderemus, per uenæ ſectionem eiuſdem lateris retrahere debere-
" mus. Suprà enim dicebat Galen. Sed reuul-
ſio,

ſio, quibus in directum adhibetur, euidentem „
utilitatem celeriter oſtendit: Quibus contrà, „
haud etiam. Et parum pòſt dicit: Porrò reuul- „
ſionis cauſa, ſi uenam ſeces indirecte quidem „
oppoſitis ſanguinis eruptionibus, citiſsime „
conſpicuã uidebis utilitatem. At ſi contrà ſe- „
ces, nihil profuerit. Non modo igitur quum uacuare: ſed quum reuellere intendimus, ſecandæ ſunt uenę ſecundum rectitudinem partis patientis. Alia eſt Gal. autoritas XIII. de morbis curandis, ubi quærẽs per quæ loca ſanguis mitti debeat, incipientibus mẽbris phlegmonem pati, dicit: Proponatur itaq; iecur iam „
phlegmonem cõtrahere cœpiſſe: tum quænam „
mali eius commodiſsima ſit curatio quæratur. „
Et parum pòſt ſubdit: Ergo pariter tum reuel- „
lendus, tum educendus, qui ad iecur fluit ſan- „
guis eſt, interna in dextro cubito ſecta uena, „
propterea quòd eſt ſecundum rectitudinem, „
& ampla uia cum uena, quę caua dicitur, ſocie- „
tatem habet. Hac non comparente, media ſe- „
canda eſt. Et multis interpoſitis, ſubdit: Satius „
igitur ſit, ubi partes, quæ in ore ſunt, phlegmo „
nem accerſere cœperint, deriuare ad nares: pari „
modo uenam quoq;, ubi eæ partes ſic laborãt, „
incidere humeralem in manu: Si ea non cerni- „
tur, mediam. Vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor „
ſic afficiuntur, internam. In angina, quam ſy- „
nanchen Græci uocant, primas in manibus, „

,, Secundas eas,quæ ſub lingua habẽtur. At ijs,
,, quæ in occipite ſunt ſic affllictis etiã eam , quæ
,, in cubito eſt,necnon eam,quæ habetur in fron
,, te. Renibus uerò,& ueſica, pudendo, & utero
,, ſic habentibus , eas quæ in cruribus ſunt ſitæ,
,, ac potiſsimum , quæ circa poplitem ſunt : ſin
,, minus,eas quæ iuxta malleolum, ac perpetuo
,, quidem in omnibus,quæ κατ' ἴξιν, id eſt,ſecun-
,, dum rectitudinem ſunt. Vbi iecur phlegmone
,, inuadit,quæ in dextra ſunt manu: Vbi lienem,
contrà. Hic apertè Galen.uult oſtendere qua-
cunque parte noſtri corporis intrinſeca phle-
gmonẽ contrahere incipiente, quæ uena ſit in-
cidenda. Incipiẽte iecore ſic affici uult eſſe non
modò reuellendum , ſed euacuandum ſangui-
nem ad iecur tum fluentem, tum etiam phleg-
monem circunſtantem, interna in dextro cubi
to ſecta uena. Vbi uerò partes,quę in ore ſunt,
phlegmonem admittere cœperint, incidere do
cet humeralem in manu. Non dicit ex quo la-
tere,ne dictionem illam ſecundum rectitudinẽ
de membro quouis replicet. Verum poſtea-
quam enumerauit membra omnia,quæ phleg-
monem contrahere incipiunt,uniuerſalem, ui-
delicet clauſulam ſubdit, ac perpetuò quidem
in omnibus,quæ è directo eſt. Partibus igitur
oris ſic affectis, incidenda eſt humeralis ſecun-
dum patientis partis rectitudinẽ. Vbi iecur,pe
ctus,pulmo,aut cor ſic afficiuntur, id eſt,phle-
gmonem

gmonem pati cœperint(neq; enim aliter interpretari possumus) dicit internã, supple in manu, esse secandam. Et secundum rectitudinem ex dicto illo uidelicet. Ac perpetuo quidem in omnibus,&c. Ex his planè sequitur, quòd incipiente lateris dolore secanda sit uena, quæ intus secundum rectitudinem affecti lateris, quia incipiẽte pleuritide, pectus incipit phlegmonem cõtrahere. Par siquidem est incipere lateris dolorem, & incipere pectus inflammari. Quòd si duas in dolore lateris uenas, primã, scilicet non affecti, secundam affecti lateris secare fuisset opportunum, id dixisset, ut in Angina dixit, primas in manibus, secundas quæ sub lingua. Renibus autem phlegmonem habere incipientibus, etsi in tractatu de ratione curandi per sanguinis misſionem uisus sit ambigere, an uena cubiti, an poplitis sit incidenda, dixeritq; renes interdum(quum phlegmone recens est, & sanguinis multitudo) sectioni uenæ in cubito ascultare: hic tamen eligit uenæ sectionem in cruribus forte tanquam potiorem, & ab Hippocrate magis laudatam, ut ait in sexta par.aph.comm.XXXVI. Quod au„ tem dicitur, secare uerò interiores: si de uenis „ manus dicitur, caret ueritate, neq; confessum „ Hip.uidetur. Siquidem in omnibus libris suis „ in partibus, quæ supra iecur sunt, ex manibus „ sanguinem mittere; in inferioribus, eas quæ in „ genu,

„ genu,uel talo ſunt,ſecari iubet. Tam clara ſunt, quæ XIII. de morbis curandis adducta ſunt, ut nullam pro aduerſa opinione gloſam recipere poſſe uideantur,eò quòd de cura per ſanguinis miſsionem, cuiuſcunq; phlegmones in principio cum plenitudine corporis apertiſsimè dicantur. Non defuerunt tamen,qui dixerint textum illum: Proponatur itaque iecur phlegmonem contrahere cœpiſſe, ſic eſſe intelligendum: Proponatur itaq; iecur cœpiſſe habere phlegmonem factam, & iam cœpiſſe totam materiam fluxam eſſe: & ſimiliter dicitur de alijs membris phlegmonem patientibus loqui Galenum,in principio, id eſt,quando incipit phlegmone facta eſſe,& materia tota fluxa eſſe, quo tempore concedũt ſecandam eſſe uenam ſecundum rectitudinem lateris patientis. Textus Græcus ita habet: Proponatur iecur incipiens φλεγμαίνειν.Et parum infrà:Iecore incipiente φλεγμαίνειν, id eſt, phlegminare (ſi ita loqui liceat). Idẽ ſanè eſt, iecur incipere phlegminare, & qđ, in hepate fieri phlegmone incipiat: ueluti idẽ eſt incipere ſcribere,& quod ſcriptura fieri incipiat: incipere currere, & qđ curſus fieri incipiat: oportet igitur ſic dicentes interpretari phlegmone in iecore incipit fieri,id eſt, incipit facta eſſe. Et licet phlegmone,quantũcunq; parua,ſit eiuſdem ſpeciei cum phlegmone magna, iuxta Galeni ſententiam

primo de locis affectis, dicentis: Haud aliter ,,
inflammatio quocq; in quacuncq; animalis par- ,,
te constiterit, siue maxima, siue minima fuerit, ,,
unus atcq; idem erit affectus: non specie quidẽ, ,,
sed magnitudine uarius: & ex consequenti fa- ,,
cilè concedi posſit, quandocuncq; phlegmone ,,
fit, phlegmonẽ factam esse: sicut, quicquid mo- ,,
uetur, mutatum esse. In principio enim cuius- ,,
cũcq; phlegmones semper aliqua parua phleg-
mone facta est. Hic tamẽ sensus eis non suffra-
gatur, qui uolunt Galen. loqui quando incipit
phlegmone facta esse, ita quòd non amplius
fiat, sed materia tota sit fluxa. Quod apertissi-
mè Gal. dictis contradicit: & præter hoc, quòd
multa in eos dicta, qui uerba Hipp. interpreta-
bantur de materia fluxa, sint etiam aduersus
istos, hic Galenus dixit euacuandum & reuel-
lendum esse, qui ad iecur fluit, sanguinẽ: aper-
tissimè loquens, quum sanguis fluit, non quan-
do totus est fluxus. Loquitur etiam de prima
uenæ sectione fienda, quæ non est differenda,
donec tota fluxerit materia, quum dicit: In an- ,,
gina primas in manibus, secundas eas, quę sub ,,
lingua. Eodem etiam loco ait: Non enim ratio ,,
solùm, uerum etiam usus ipse indicat, aliam alij ,,
parti uacuationem cõgruere: siquidem ex his, ,,
quibus oculi tentari phlegmone cœperant, ,,
nonnullos sola purgatione per aluum uno die ,,
sanatos uidisti. Quam rem si quis in iecinore, ,,
quum

,, quum phlegmone laborare incepit, tentet, ma
,, ximam excitabit phlegmonem: æquè ſi quum
,, in renibus, aut ueſica incipit, quæ urinas cient,
,, exhibeat, aut ſi quum uterus phlegmone labo
,, rat, menſes deuocet. Siquidẽ longiſsimè à ten-
,, tata fluxione parte auellere, nequaquã ad eam
,, trahere conuenit. Et parum infrà dicit: Sed nec
,, refrigerare inter initia, aut aſtringere citra la-
,, borantis particulæ indicationem utilitatis ma
,, gis quàm noxæ ſunt cauſæ. Nam in particulis,
,, quæ circa artus ſunt, ſat fuerit etiam ſpongiã,
,, uel ex frigida aqua, cui paululum aceti ſit im-
,, mixtum, uel aqua ſola imponere: Sicut etiã ex
,, uino aliquo auſtero. In iecinore uerò, ſi phle-
,, gmone laborare cœpit, nemo compos rationis
,, ijs utatur: imò nec ſi mælino infundas, aut mir
,, teo, aut maſtichino, aut nardino, aut aliquo o-
,, leo quod aſtringat, aut etiã alio quopiam, cui
,, abſinthium ſit incoctũ, ne horũ quidem ullum
,, conueniet frigidum: ſicut nec ullum cataplaſ-
,, ma frigidum. Sed ſi mala, præcipuè cotonea
,, uino incoquens cataplaſma ex eo præparaue-
,, ris. Si iecur phlegmone laborare cœpit, ne id
,, quidem admouebis frigidum. Quid clarius, ꝙ
quòd loquatur, fluente materia, ac phlegmo-
nem facere incipiente? Sed in hac ridicula in-
terpretatione diutius fortaſſe, quàm par erat,
immorati ſumus. Ex his duabus Galeni au-
toritatibus planè conſtat: ubi ſuperiores pe-
ctore

ctore partes phlegmone, ac fluxione tentari incipiunt, humeralem cubiti uenam secundum partis affectæ rectitudinem in primis secãdam esse. Pectore uerò, pulmone, corde, septo transuerso, uentre, iecore, liene, phlegmone, ac fluxione incipiẽtibus occupari, secandam esse uenam, quæ intus in cubito, secundum lateris affecti rectitudinem. Renibus autem, uesica, utero, pudendis, coxendice tale quid incipiẽtibus ægreferre, uenam cruris è directo partis patiẽtis aperiendam esse, ac potissimum, quæ circa poplitem est: sin minus, eam, quæ iuxta malleolum. Clarè quoque constat partibus pectore superioribus sic affectis, secta primum humerali uena, secandas esse, subinde (si morbus exigat) in angina uenas sub lingua: in occipitis dolore, uenam frontis: in oculorum phlegmone, uenas in angulis oculorum. Reliquis uerò omnibus enumeratis partibus sic affectis, & primo & secundo, si opus sit, eadem semper uena secanda est, præterquàm quum morbo inueterato à membro ipso patiente uacuare intendimus: tunc enim parti læsæ cucurbitulas applicamus cum scarificatione. Incipientibus uerò membris extremis, brachijs scilicet & cruribus phlegmone fluxioneque laborare, dextro brachio sic affecto, uena, quæ intus in cubito sinistro, secanda est, aut in crure dextro. Altero uerò crure sic affecto, alterius uena secanda est.

Dixit

,, Dixit enim Gal. II. ad Glauc. Patientibus uero membris extremis, à co͂uinctis ἀπὸ τῶν ὁμοζύγων: id est, coniugatis euacuatio fienda, siue retrahere uelis, siue deriuare: præterquàm ubi passio sit inueterata, tunc enim à membro ipso patiente detrahimus. Et XIII. de morbis curandis: Cogimur ergo aliâs sanguinem mittere: idque aut uena incisa, aut membris ijs, quæ læsa non sunt scarificatis: manu enim laborante, scarificabis crura: altero cruru͂ malè habente, reliquum. Siquide͂ in membris ipsis phlegmone laborare incipientibus, non est incidenda uena, prout scilicet in ea Hippocratis autoritate. Dolorum causa proximu͂ uentrem purgare, & sanguinis uentrem incidere, declarauimus. Tertia Galeni est autoritas secundo ar. curat. ad Glauc. At ex positu indicatio neque ipsa contemnenda est, nam per quæ euacuare oporteat, atque quomodo, ipsa præcipue demonstrat. Fluentium igitur humorum, retractio (sic enim Hippocrates nominat) eorum autem, qui iam membru͂ obsederunt, deriuatio medela est. Vtrunque autem euacuationis genus per communes uenas fieri præcipit, ueluti in locis mulie bribus in co͂trarium trahes, si eas quæ in cubito sunt, secueris uenas, aut mammillis cucurbitulas applicueris, uel manus concalefeceris, & fricueris, atque alligaueris: Deriuabis aute͂, si eas quæ in genibus, aut talis uenas diuiseris,

& cuc

& cucurbitas coxis applicueris, & crura cale-feceris, ac perfricueris, atque alligaueris: & ſiquidem in parte dextra locorum paſsio fuerit, à dextra manu, aut crure detraxeris ſanguinẽ: ſi uerò in ſiniſtra, à membris, quæ illi è directo ſunt. Quod enim ab ipſo κατ' ἴξιν dicitur, hoc ipſum eſt ſecundũ rectitudinem. Interiores autem uenas incidere oportet: etenim uiciniores, magisꝗ; è directo ſunt patientibus membris. Nam ſi ſplene inflammationẽ patiente, ſanguinem uis euacuare, interiores in manu ſiniſtra uenas ſecato: & ſi hepate, eadem ratione in dextra. Siquid uerò ſuperioribus inflammationẽ habuerit, ueluti in his affectibus, quos Græci ſynanchas, & ophthalmias uocãt, & quicunꝗ; alij capiti aduenerĩt, eas quæ extrinſecus ſunt directo. Patientibus uerò membris extremis, à coniunctis, id eſt, à coniugatis euacuatio fiẽda eſt, ſiue retrahere uelis, ſiue deriuare, præterꝗ; ubi paſsio ſit inueterata: tunc enim à membro ipſo patiente detrahimus. Sic igitur in ſynanchis eas, quæ ſub lingua ſunt, uenas incidimus, quando iam totum corpus uacuũ ſe nobis obtulerit, paſsio uerò ſit diuturna, ſic & hepati, & ſpleni cucurbitulas applicamus, ſic & aliud quodlibet patiens membrum incidimus, ſi non amplius humores influãt, tunc enim magis irritaueris, ac malum duplicaueris. Sed quando iam totum corpus expurgatũ fuerit, neꝗ; iam

,, aliquid influit, aliquid uerò quod pridem influ
,, xerat, in membro continetur. Clarè uult hîc Gal. tam retractionem, quàm deriuationẽ fieri debere secundum rectitudinẽ lateris patiẽtis, & per uenas, quę uiciniores sunt, & magis è directo parti læsæ. Quare partibus capitis affectis humeralis uena secari debet, quoniã uicinior est, & magis è directo. Laborantibus uerò membris pectoris, aut uentris inferioris, secandæ sunt uenæ quæ intus, tum in cubito, si supra renes, tum in poplite uel malleolis, si sub renibus sit affectio, quoniam uiciniores, & magis è directo sunt partibus læsis. Quod etiã suprà in illa Hipp. autoritate, Dolorũ causa proximum uentrem purgare, &c. declaratum est: Clarè quoq; patet, quod fluentiũ humorum, quando nondum partẽ aliquam obsident, aut quando nondum in aliqua parte corporis firmantur, aut nondũ phlegmonem facere incipiunt, sicut in superfluo sanguinis narium fluxu, uel menstruorũ, uel hemorrhoidarũ, retractio medela est. Quando uerò in aliquo membro firmari, & ipsum obsidere, ac phlegmonem facere incipiunt, deriuatio medela est, ut suprà satis declarauimus, ubi tota ferè hæc autoritas adducta fuit. Ex his tollitur apparens contradictio in dictis Galeni. Dixit XIII. de morbis curandis, quòd utero phlegmonem contrahere incipiente, secanda uena est in poplite, aut malleolis.

malleolis. Hic uerò dicit: In locis muliebribus, quum retrahere intendimus, ſecandam eſſe uenam, quæ intus cubiti. Nempe tunc retrahere intendimus, quũ materia fluit, & in utero non firmatur, nec phlegmonem facere incipit, quo fluxu ſuperfluo ſtante, reuellere deſideramus: In XIII. uerò de morbis curandis loquitur, quum uterus phlegmonem contrahere cœpit, & tunc deriuatio medela eſt, & uena in poplite uel malleolis eſt ſecanda. Quarta Galeni eſt autoritas in de conſtitutione artis medic. c.17. ubi modum curandi tradidit, à ſitu & plaſmate particulæ patiẽtis indicatione ſumpta, & poſt exemplum obſtructionis hepatis dicit: Similiter autem quæ phlegmone urgentur particularum ſanatio à poſitione & plaſmate accipitur: etenim & harum prima intentio euacuatio eſt humoris, qui fluendo firmatur, aut incũbit in particulam phlegmone laborantẽ: qualiter autem oportet ipſam euacuare, particularum natura indicat. Ab ipſa enim edocti fluxiones quidem, quæ in coxam decumbunt, per uenas, quæ ſunt in poplite, aut malleolis, euacuabimus: ſicut & eas, quę ſecundum uterum retinentur: Quæ uerò ſecundum thoracem & pulmonem, per eas, quæ intus in cubito: Quæ uerò ſecundum caput & collum, per humeralem: fit enim ex proximioribus, & magis communicantibus patienti particulæ ue-

nis euacuatio optima & facilis. Clarè uult hîc
,, Galenus idē quod in aliȷs autoritatibus ſuprà
poſitis perſæpe dictum eſt, quòd ſcilicet phle-
gmonem contrahere incipientibus partibus
capitis, aut colli ſecanda uena ſit humeralis:
patientibus pulmone & pectore, uena quæ in-
tus in cubito: patientibus autem coxa & ute-
ro, ea quæ in poplite aut malleolis: in omnibus
autem ea ſemper, quæ proximior eſt, ac magis
communicans parti læſæ, iuxta ſententiā Hip-
pocratis explicatam in ea parte, Dolorum cau
ſa proximū uentrem purgare, &c. Dicent for-
tè aliqui Gal. hîc intelligere, quando defluen-
tes humores in aliquo membro firmantur, &
tunc firmantur, quando materia fluxa eſt, quo
caſu concedunt omnes euacuationes ex pro-
ximioribus uenis, & ſecundum lateris affecti
rectitudinem. Non aduertunt ſic dicentes, du-
plicem in nobis humorum fieri defluxum, tum
per quem fluentes humores extra corpus fe-
runtur, ut in ſanguinis nariū fluxu, menſtruo-
rum, hemorrhoidarum & huiuſmodi, tum per
quē fluentes humores, in aliqua corporis par-
te firmantur, etiam phlegmonem facere inci-
piunt. Qui propterea dicuntur in aliqua parte
firmari, non quòd ex toto ſint fluxi, ſed quia
non extra corpus defluant. Et ſicut à remotis
aqua defluens firmatur, aut alicubi retinetur,
quamuis fluere non deſinat: & eo loco firmari
dicitur,

dicitur, quia non ultrà procedit: sic humores fluentes in aliqua parte corporis, firmari & retineri dicuntur, non quia fluere desinant, sed quia ultra partem illam, aut extra corpus non defluunt. Quum dicimus humores fluentes firmari, duo dicimus, & humores fluere, & eos firmari, aut in aliqua parte retineri. De hoc humorum defluxu Galenus intelligit, & non quando tota materia fluxa est: quia si loqueretur quando materia non amplius fluit, utilem curandi modum non doceret, indicatione à situ & partis patientis formatione sumpta: quoniam non doceret fluente materia & phlegmonem iam facere incipiente, qua uena sanguis esset educendus: quum tamen hic locus sit, ubi totam artem medicatiuam constituere docet. Rursus non simpliciter dixisset, laborantibus capitis & colli partibus, humeralem secandam esse, quum nonnunquam uenæ sub lingua in angina, & in oculorum phlegmone, in angulis oculorum, & uena frontis in dolore capitis secari debeant, ubi materia fluxerit. Quum igitur humeralem secandam esse solum dicat, idq; uerum semper sit, quando fluens materia phlegmonem facit: quis dubitat hic Galenum de materia fluente, ac alicubi phlegmonem faciente, loqui? Quare sententia prorsus eadem hîc habetur à Galeno & alijs locis euidenter suprà declaratis. Quod etiam manife-

stè concluditur, quoniam Galenus ut in præsenti parte dicit in textu Græco, τὰ μὲν εἰς ἰσχίον κατασκήψαντα ῥεύματα. id est, Quæ in coxa fluxiones decumbunt, aut firmantur, aut ueniũt. Ita in tractatu de pharmacorum compositione secundum loca patientia dicit; Εἴρηται πρόσθεν ἐν τῷ περὶ τῆς ἰσχιάδος λόγῳ, ῥευμάτων ἔκγονα, τὰ τοιαῦτα ὑπάρχειν πάθη, κατασκηπτόντων εἰς τὰς χώρας τῶν διαρθρώσεων. id est, Dictum est prius in sermone de coxæ morbo, quod hi affectus podagra scilicet, & arthritis fiunt, &c. ῥευμάτων κατασκηπτόντων, id est, fluxionibus deuenientibus, decumbentibus, aut firmatis in loca iuncturarum. subdit ergo curam esse uacuare quod deuenit, aut decumbit, aut firmatur in locis illis, & subiungit; τὸ κατασκῆψαν, id est, quod deuenit, decumbit, aut firmatur, uel adhuc fluit, uel non; planè indicans, quòd hac dictione κατασκήπτω, uel κατασκῆψαν utitur, quũ humores in aliqua parte firmantur, licet adhuc fluant. Quare quum dicimus humores in aliqua parte firmari, non excludimus eos fluere. Quinta Galeni est autoritas tertio artis medicinalis, c. 95. secundum Leoniceni diuisionem,
,, ubi sic habetur; Supponatur cuipiam particu-
,, læ multitudinem sanguinis influi, adeò ut in-
,, tendantur in ea uenæ, non maiores tantum, sed
,, etiam paruæ, quæ prius sensum effugiebant;
,, nunc uerò iam plenæ uisu comprehenduntur,

sicut

ſicut plerunq; in oculis ob tunicæ albedinem manifeſtiſsimè patet: par ſiquidem eſt quòd & alia uaſa, quæ latent ſenſum, iam plena diſtendantur, nondum & ipſa ob paruitatem uiſui manifeſta, & iam periculum imminet, ne quod ex uaſis exudat ad ſpatia uacua, quæ in medio ſunt, effundatur, aut ne iam parum aliquid ſit effuſum. Huius quidem affectus ſanatio intentionem habebit, euacuationem, aut (ut manifeſtiori uocabulo utar) abuacuationem: ſiquidem morbus erat immoderata partis repletio. Neceſſarium igitur eſt, ut aut ſuperfluitas retrocedens euacuetur, aut per ipſam patientem particulam: retrocedet autem uel impulſa, uel attracta, uel tranſmiſſa, uel horum uno aliquo modorum, uel omnibus. Per locum uerò patientem euacuabitur, partim quidem manifeſtè & ſenſibiliter, partim uerò in uapores reſoluta. Si igitur uniuerſum corpus plus æquo plenum fuerit, per patientem locum minime euacuandum: nam ſi ſcarificationibus, aut ſectionibus ſenſibiliter euacuabimus, plus ratione excitati doloris attrahemus: ſi uerò calefacientibus diſpergere tentabimus, plus erit id quod ui caloris ad partem attrahetur, quàm diſperſum. Quòd ſi in eo elaborabimus, ut quod influxit retrocedat, corpus plenum non admittit: ad hæc igitur ambo totum corpus euacuare oportet, aut omnino ad con-

traria loca retrahere, quod patienti particulæ influuit, quo perfecto opere prius à parte repellendum, mox dispergendum: quantò enim per maiora, tantò expeditior est euacuatio. Hic loquitur Gal. quando sanguis fluēs incipit exudando à uenis phlegmonem facere, & si corpus est plenum, præcipit euacuandum non esse scarificationibus, aut calefactorijs à parte læsa, non tamen iubet non esse per uenam proximam deriuandum; quod pari modo præcipere debuisset, si tam noxia fieret euacuatio talis. Nec uult semper esse fiendam retractiuam à longinquo uacuationē, sed disiunctiuè dixit, totū corpus euacuare oportet, aut omnino ad contraria loca retrahere: cuius ratio potest esse quia totius euacuatio, prçsertim per uenā proximam facta, materiæ fluxum ad partem phlegmone laborantē magis aufert, quàm sine totius euacuatione retractio quæuis ad loca contraria; siquidem fluxus sanguinis ad locū dolentē causæ duæ sunt præcipuæ, dolor scilicet, & aliquarū partiū plenitudo, quæ se cupientes exonerare, sanguinē transmittunt ad debiliores. Per totius euacuationē tollitur plenitudo, qua cessante, partes repletæ, ac grauatæ transmittere cessant. Per euacuationem à toto, sed magis à parte dolente, quàm ab alijs partibus factam, cessat dolor, unde materiæ fluxus ad partem dolentem tollitur, quo dempto, non

est

est alia retractio necessaria. Quare luce clarius infertur, eam in principio phlegmones uenam secandam esse, quæ à toto, sed magis ab affecta parte, quàm ab alijs, euacuet, per cuiusq; euacuationem dolor remittitur. Et quum omnis uena uacuet à toto, quæ parti læsæ proximior est, à toto, & ab affecta parte magis quàm ab alijs euacuat. Constat igitur secandam esse uenam, quæ proxima est affectæ particulæ, quod uult Hippo. quum ait, Dolorum causa proximum uentrem purgare, & sanguinis uentrem incidere. Dices fortè hæc habere ueritatem, quando dolorem sedare intendimus, quod est accidenti attendere, & non morbo. Verùm quando morbum curare intendimus, uena potius oppositi lateris erit incidenda. Tollitur hæc obiectio ex sententia Gal. XII. de morbis curãdis in principio, quum dixit: Quòd si uno ,, remedio tum simptoma leniri, tum morbus ,, curari queat, id utiq; non fuerit simptoma re- ,, spicere, aut simptomatis causa remedia sume- ,, re: sed omnis eiusmodi auxiliorũ species planè ,, morbi curatio est: Neq; enim quum lateris do- ,, lorem in pleuritide, misso sanguine, uel corpo- ,, re purgato sanamus, nec quũ abscessum disten- ,, tum cum dolore pulsans diuidimus, ac pus ,, emittimus, eiusmodi curatio simptomatis est. ,,

HAec de Hippocratis Galeniq; autorita- ,, tibus, nunc ad Arabum opinionem acce- ,, damus,

damus, quod secundum propositum erat, declaremusq́ Auic. & Auenzor idem uoluisse, quod Hipp. & Gal. uoluerunt. Rasim uerò uel idem sensisse, uel ab eis parum deuiasse. Et si fortaſsis hæc interpretatio non erit aliquibus accepta iam cõsuetis aliter Arabes intelligere (magna nanque uis est consuetudinis) id saltem nobis concedant, esse Hipp. & Gal. (quicquid Arabes uoluerint) adhærendum. Scio non defuturos, qui dictorum Arabum corticẽ tantum, & non medullam, inspicientes, hanc interpretationem meam damnabunt: sed qui recta ratione uti uoluerint, aliter fortè sentiẽt, & si uidebitur alijs omnino, quòd Arabum mentem non attigerimus, cum eis in hoc non contẽdemus. Nec dubitamus fore quàm plurimos, qui nostrum hunc laborem ad amicorũ gratiam, & mortalium utilitatem desumptum calumnientur: utpote, qui facilè damnent absentes, & infantes, atq; omni præsidio destitutos licenter mordeant. Tanta est hominum inscitia, & temeritas, ut in propriæ uitæ iactura, tuendæ falsitatis desyderio, etiam consentiant. Eorum tamen causa uerba facere non grauabimur, qui synceras aures, & mentem habent sanã, ad quos iam nostra uertatur oratio: æquo tamen animo uelim paterentur hæc me scripsisse, ut alijs occasio considerandi detur, an fortè melius Arabes cum Græcis ualeant cõciliari,

ciliari, & in primis Auic. mentem uideamus, qui prope finem suæ canticæ de Gal. loquens dixit: Fiat ergo phlebotomia in his, quæ intel- „ lexit in hoc tract. & in morbis illis etiã, in qui- „ bus ipse fecit eam: paulò pòst enumerãdo mor bos, in quibus talis est uenæ sectio fiẽda, pleu- ritidẽ enumerat, duo uolens, unũ quidẽ, quòd in illis morbis uenę sectio fiat, in qbus eã Gal. fecit: Alterũ, ꝙ fiat in his, quę Gal. intellexit in hoc tractatu, id est, his modis & cõditionibus à Galeno ĩ trac. de sectione uenę positis: neq; em̃ uerba illa possũt aliter ĩterp̃tari, etiã si fingẽdi licẽtia detur. Est alius Auic. locus quarta pri- „ mi, c. 1. q sic habet: Et hoc quidẽ est in eo qđ fa- „ cere debemus, quũ fuerit iam materia tota in „ mẽbro effusa: & in eo qđ facere debemus, quũ „ materia adhuc effũdit: quoniã quũ sciuerimus „ ꝙ materia fuerit adhuc in descensu, à suo loco „ materiã extrahemus, postq; quatuor cõditionũ „ curam habuerimus: Vna est partis diuersitas, „ quemadmodum à dextra ad sinistram trahi- „ mus à superioribus ad inferiora. Secunda ut „ societatis curã habeamus, sicut menstrua uen- „ tosis retinemus, quas mammillis supponimus, „ ad membrum associatum attrahẽtes. Et tertia „ rectitudinis curã habere, queadmodum opor- „ tet in ægritudinibus hepatis, in dextra minu- „ tionem faciemus basilica, & in ægritudinibus „ splenis in basilica sinistra. Et quarta quidẽ est „

, cum ſolicitudine elongationis, ne membrum ad quòd attrahitur, ualde ſit propinquũ ei, ex quo extrahitur. Non poſſet Auic. mentẽ Hip. & Gal. ſuprà declaratam clarius explicare, nec ſe illis magis conformem reddere. Siquidem quando materia non ex toto fluxa eſt ad aliquod mẽbrum, ſed adhuc pro parte fluit, uult eam eſſe uacuandam, quatuor conditionibus ſeruatis, quas etiam ſeruari debere clariſsimè uolunt Hippo. & Gal. Prima eſt quòd non à læſo mẽbro fiat eductio, ſed à diuerſo: Et proinde in pleuritide non ſunt apponẽdæ uentoſæ ſuper loco dolente, ut antiquorum nonnulli faciebant: Et dextro brachio phlegmone laborare incipiente, ſecanda eſt uena in ſiniſtro, & è contrà: pari modo crure dextro ſic affecto, ſecanda eſt uena in ſiniſtro, & è contrà, & ſic à dextro in ſiniſtrum & è contrà quandoq; trahimus: Nonnunquam à ſuperioribus ad inferiora: ſicut in oculorum phlegmone uenam humeralem ſecantes. Quæ omnia de mente Hip. & Gal. ſuprà declarauimus. Secunda eſt, ſocietatis curam habere. Quare in phlegmone dextri oculi, non ſecamus uenam in ſiniſtro brachio, ſed in dextro: non uenam, quæ intus, ſed humeralem: quia cum læſo oculo maiorem communicantiam & directionem, uel ſocietatem habet. Et iecore phlegmonem contrahere incipiente, uenam non in brachio ſiniſtro, ſed dextro

dextro ſecamus, non humeralem, ſed eam, quæ intus, quæ cum iecore maiorem ſocietatem habet, & pari modo patientibus aliĳs partibus, prout ſuprà in tertia Gal. autoritate, & in illa Hippo. Dolorum cauſa, &c. abundè declaratū eſt. Tertia eſt rectitudinis curam habere, quod eſt euacuationes ſecundum lateris patiētis rectitudinem facere. Id autem eſt ab eodem latere, ut ipſe ſe declarat. Vult igitur Auic. ſecandam eſſe uenam ſecūdum partis affectæ rectitudinem, & cum ea maiorem ſocietatē, & cōmunicantiam habentē, quæ eſt expreſſa mens Hippo. & Gal. ut ſatis ex dictis eſt euidens. Quarta eſt debitæ longitudinis curam habere, ita quòd secta uena parti affectæ propinqua nimis nō ſit: Vnde in angina uenas ſub lingua primum non incidimus, quū ſint affectæ parti nimis propinquæ, nec in oculi phlegmone, uenam in fronte, aut angulis oculorum, eadē ratione. Nec incidimus uenas in poplite, aut malleolis, quia nimis diſtantes, & cum parte læſa ſocietatem non habent. Sed uenas in brachio ſecamus, quæ è directo ſunt, & affectæ parti magis propinquæ, ac communicantes: quod Hippo. & Gal. uoluiſſe conſtat apertiſsimè. Si itaque uult hic Auic. ſeruādam eſſe diuerſitatem, & ſocietatē, & rectitudinem, quandocunq; dicet Auic. ſecandam eſſe uenam ex oppoſito, nulla poſita limitatione, intelligēdus

erit

erit ex oppoſito, ſecũdum rectitudinem, id eſt, ſeruata rectitudine, ac ſocietate, uel communicantia: quod nihil aliud eſt, quàm id, quod ſuprà de mente Hippocratis, & Galeni ſæpenumero dictum fuit, non eſſe uacuandum à parte læſa, cùm materia adhuc fluit, ſed eſſe uenam magnam proximam, & quæ parti læſæ magis è directo, & magis communicans eſt, incidendam. Opponet forſan aliquis primam & ſecũdam conditiones inuicem pugnare: quia quãdoque, ut ſeruetur diuerſitas, à dextro ad ſiniſtrum trahimus, aut è contrario: cui repugnat rectitudinem ſeruare. Idem eſt enim euacuare ſecũdum rectitudinem, & ex eadem parte dextra uel ſiniſtra. Vnde ſequetur, Auicennam docere ſeruandas eſſe cõditiones inuicem pugnantes, quæ obſeruari minime poſſunt, licet ex dicendis oſtendetur, hæc adinuicem nõ pugnare, trahere à dextris ad ſiniſtrum, uel econtrario, & ſecundum lateris patientis rectitudinem trahere, ſeu ducere. Pro nunc tamen admiſſo, quòd inuicem pugnent, dicitur, Auicẽnam iubere quatuor conditiones obſeruandas eſſe, quæ magna ex parte ſimul omnes obſeruari poſſunt, ut quũ in dextri oculi phlegmone humeralem dextri cubiti uenam ſecamus: tunc enim ſeruatur diuerſitas à ſuperioribus ad inferiora trahendo: Rectitudo quum ab eadem parte dextra fiat eductio: Communicãtia, quum

quū partibus capitis humeralis uena, magis, quàm quæ intus communicet, seruatur & debita longitudo, & pari modo, quum fienda sit attractio à superioribus ad inferiora, uel econtrario, semper omnes illæ cōditiones obseruari possunt. Si uerò quandoq; contingat pro seruanda prima cōditione trahere à dextro in sinistrum, uel econtrario, impossibile est conditiones omnes quatuor adesse, tuncq; quantò plures erunt, tātò melius. Et sic Auic. quatuor ponit conditiones seruandas, quas omnes quū possumus, seruare debemus: quum uerò non possumus omnes, saltem plures ex eis, quoad fieri potest, obseruādæ sunt. Quare phlegmone dextrum brachium inuadente, si uena in crure dextro incidatur, seruatur quidem diuersitas, & rectitudo, longitudo uerò nimia uidetur, ideo debita non adest cōmunicantia, corde præsertim medio stante. Si autem uena in brachio sinistro secetur, seruatur quoq; diuersitas, & debita longitudo, rectitudo uerò non seruatur, neq; debita communicantia. Proinde dextro brachio phlegmone laborare incipiente, secanda uena est, aut in brachio sinistro, aut in eiusdē lateris crure, prout suprà declarauimus. Quomodo aūt debita lōgitudo sit obseruāda, declarat Auicē. quarta primi, c. 3. ubi habet: Et scias ꝙ materiei euacuatio, & de suo loco eradicatio, est secūdum unum duorum modorū: „ unus

,, unus eorum eſt, qui fit propter attractionem,
,, quæ fit ad longinquam diuerſitatẽ: alter pro-
,, pter eam, quæ fit ad propinquam: Et ſuarum
,, quidem horarũ dignior eſt, quum in corpore
,, non fuerit repletio ſuperflua, neq; materia de-
,, clinans ad ipſum membrum, ad quod fit attra-
,, ctio. Ponamus itaq; quòd ab ore uiri ſuperius
,, multus fluat ſanguis, & ab hæmorrhoidibus
,, mulieris ſuperfluus fluat ſanguis, unum duo-
,, rum faciemus, aut trahemus per declinationẽ,
,, quæ fit ad propinquam diuerſitatem, & opor-
,, tebit tunc, ut materiam ad nares declinemus,
,, faciendo ſanguinem è naribus fluere, & in al-
,, tero ad matricem, prouocando menſtrua: aut ſi
,, uoluerimus ad longinquam trahere diuerſita-
,, tem, euacuabimus in primo ſanguinem è ue-
,, nis, & locis quæ ſunt in inferiori parte corpo-
,, ris: & in ſecundo à uenis & locis, quæ ſunt in
,, ſuprema parte corporis: & in attractione, quæ
,, fit ad diuerſitatem longinquam: non oportet
,, quidem ut in duos diametros prolõgationem
,, facias, ſed in uno tantum, qui ſit diameter ma-
,, gis longinquus. Nam ſi materia fuerit in ſu-
,, premo dextræ partis, non erit trahenda ad in-
,, fimum ſiniſtræ, imò ad infimum ipſius dextræ:
,, Et hoc quidem eſt illud, quod eſt magis neceſ-
,, ſarium. Aut ad ſiniſtram à ſupremo, ſi fuerit
,, tantum longinqua, quantum eſt ab humero ad
,, humerum, & non fuerit diſpoſitio eius, ſicut

diſpoſitio

dispositio duorum laterum capitis: materia, nãq; si in dextra capitis fuerit, eam ad inferiora, & non ad sinistrum trahes capitis. Quumq; materiam ad longinquũ trahere uolueris, loci dolorem prius sedabis, ut ipsius minuatur cõpressio per attractionẽ. Vuult hic Auicenna quòd materiam ad propinquam diuersitatem aliquando trahamus, quod præcipuè facimus, quando corporis repletio non adest; quandoq; uerò trahemus ad longinquam diuersitatem, quod facimus stante corporis repletione. Et quia longinquitas hæc, non paruam habet latitudinem à supremo partis dextræ ad infimũ eiusdem maximam esse distãtiam determinat, uel à supremo partis sinistræ ad infimum eiusdem: Et quòd minor longinquitas sit, quanta ab humero ad humerum reperitur. Maximam illam longinquitatem obseruamus, quum uoluerimus attrahere materiam, anteq; morbus incipiat: Vt si quis quotannis in æstate phlegmonem in oculo dextro habere cõsueuisset, uellemusq; ineunte uere ipsum à futuro morbo præseruare, uena in crure dextro foret incidenda, ut suprà declarauimus. Nonnunquam etiam ea maxima longinquitas obseruari posset, quando morbus capitis sine dolore foret, quia dolorum causa proximus sanguinis uenter est incidendus. Quando uerò sumus in initio phlegmones cum magno dolore, minorem

illam longinquitatem obſeruare ſatis eſt. Et proinde dixit Auic. Quumq́ ad longinquum trahere uolueris, loci dolorem prius ſedabis. Et quoniam in dextri lateris pleuritide, uena quæ intus dextri cubiti à loco læſo tãtum diſtat, quantum humerus ab humero, ut euidẽs eſt, ſequitur ſtante dextri lateris pleuritide, per uenæ ſectionem, quæ intus in flexu cubiti dextri, partis diuerſitatem ſeruari (quia non à membro læſo fit eductio, quandoquidẽ pectus & brachium membra ſint diuerſa) & communicantiam, & rectitudinem, & debitam diſtantiam; & proinde quod ad mentem Auic. ea ſit ipſa uena ſecanda. Neque repugnat prædictæ ſententiæ Aphoriſmus: Poſteriora capitis dolentia, recta uena frontis inciſa iuuat, eò quòd inter poſteriorem, & anteriorem capitis partem minor, atq; inter humerum & humerum ſit diſtantia. Quia in Aph. corpus eſſe uacuatum intelligitur, ut Gal. circa finem tracta. de ratione curandi per ſanguinis miſsionem, docet. Hic autem loquitur Auic. corpore pleno ſtante. Rurſus Auicenna decima tertij trac. v. cap. I. dicit: Inquit Gal. Si febris fuerit uehe-
„ mens ualde, tunc time ſolutiuum, & ſis contẽ-
„ tus phlebotomia: In ipſa nanq; non eſt timor,
„ aut timor eius eſt minor. In ſolutiuo uerò eſt ti
„ mor magnus; ipſum enim quandoq; mouet, &
„ quandoq; non ſoluit, & quandoq; ſuperfluit.

Poſtea

Postea subdit: Et oportet quidem ne narcotica ,,
eis approximes , inquantum potes : Ipsa enim ,,
prohibēt maturationē, & sputum. Et in cap. 2. ,,
eiusdem trac. inquit: Et Gal. quidē præcepit, in ,,
principio utendū esse speciebus de iacur, quo- ,,
niam prohibēt materiā, & maturant, & faciunt ,,
dormire. Et dico, quòd necessariæ sunt, quū nō ,,
est excusatio propter uehementiam uigiliarū: ,,
Et si non fuerit illud, tunc fortasse cōgelat pa- ,,
pauer materiam , & prohibet sputum, nisi, &c. ,,
Ponit hic Auic. duas Gal. autoritates, primam quidem quæ habetur II. de ratione uictus in acutis, cōmento XI. nō acceptat, secundā uerò de narcoticorū in pleuritide usu, quē VII. de cōpositione pharmacorū secūdum loca patiētia cōcedere uidetur Gal. interpretatur, in quo sensu sint cōcedēda: quod scilicet usus narcoticorum in pleuritide non sit admittēdus , nisi maxima stante necessitate , quādo propter uigilias, aut dolorē uirtus resoluitur : Quemadmodum igitur hic Auic. citat autoritates Gal. & eas ob rationes , quas adducit non admittit , nisi uel hoc , uel illo modo interpretentur, pari modo , si pro uenæ sectione in pleuritide dissentiret à Gal. dixisset , Gal. ita uoluit; Ego uerò propter hanc , aut illā rationē aliter sentio: quod in quàmpluribus difficultatibus obseruat, quādo aliter ꝙ Gal. sentit: Quēadmodum prima quarti trac. II. c. 43. de febre sangui

 nis, &

nis: & quarta primi, c.4. de uirtute medicinæ attractiuæ. & secũda primi, cap. de causis doloris: & prima primi, c.1. de neutralitate: & prima primi, doct. v. c.1. de membrorũ principalitate: & secũdo canonis, de coriãdri cõplexione uidere licet. Rursus in eodẽ. c.2. dicit Auic.
" Dicamus ergo, quòd cura eius est phleboto-
" mia, si sanguis ferit, uinces secundum modum
" prædictum in c. quod est ante ipsum, & extra-
" hatur sanguis donec alteretur color eius. Si-
" gnificat enim quòd nocibilior sanguis iam eua
" cuatus est: Et scias quòd sanguis corporis ue-
" hementioris nigredinis est ille, qui est propin-
" quus huiusmodi apostemati. In pleuritide, & alijs inflammationibus, quicquid sanguinis in phlegmone & locis proximis cõtinetur, id caloris abũdantia colore permutatur, reliquo in partibus omnibus simili colore manẽte. Quare sanguine, qui per totum spargitur corpus, pituitosiore existente, rubidior est qui in phlegmone & locis proximis continetur. Quòd si sanguis in totũ corpus diffusus rubidus fuerit, is procul dubio, qui phlegmonẽ facit, adustus assatusq; in nigrum permutabitur. Coloris igitur mutatio sanguinis euacuationem ex particula inflammata sufficienter ostendit. Et quum duæ fiant in sectione uenæ coloris sanguinis mutatiões: quippe primò sanguis exit, qualis in toto continetur: secundò rubidior educitur,

educitur, aut nigrior, qualis in phlegmone, uel propè continetur: quo perseuerãte exitu, mutatur iterum color, & minus rubidus, aut niger educitur. Auicenna hic illam censet coloris sanguinis mutationem expectandam, ex qua significari possit, quòd nocibilior sanguis iam sit euacuatus: quod de secunda duntaxat dici potest, quum in prima sanguinis mutatione nocibilior tunc primum incipiat euacuari, & quia secta uena ex latere non dolente, secundam hanc coloris sanguinis mutationem expectare, foret ęgrum interficere, clarè sequitur, quòd secanda uena sit ex latere dolente, in cuius sectione, secunda sanguinis mutatio sit expectanda, inquantũ tamen uires ferre possunt, ut si non totus, pro magna tamen parte nocibilior sanguis sit euacuatus. Clarior intellectus præsentis tex. Auic. ponitur infrà, quum Rasis & Auicen. concordantur. Eodem cap. 2. postquàm posuit Auic. sententiam Gal. 11. de ratione uictus in acutis commento XI. quòd tutius est euacuare sanguinis misione, quàm medicina purgante, præsertim quum febris est uehemens ualde. subdit: Quamuis oporteat ut seruetur pars declinationis doloris, & lęsionis: nam si declaratio fuerit ascendẽs ad furculam & thoracẽ, & quod est super eam, tũc phlebotomia est melior, & si dolor declinat ad partem hypochõdriorũ, tũc necessaria est solutio sola,

,, aut cum phlebotomia, secundũ quod necessa-
,, riũ facit illud, quod testificatur; & illud ideo,
,, quoniã phlebotomia sola ex basilica nõ trahit
de hoc loco aliquid, de quo sit curandũ, dolore descendente, licet Gal. in adducto cõmento 11. uoluerit uti quãdoque sola uenę sectione: hic tamen Auic. id nõ admittit, sed uult necessariam esse purgationẽ, quia (ut inquit) dolore descendẽte phlebotomia sola ex basilica nõ trahit ex affecto loco aliquid de quo sit curandũ, uel intelligit Auicẽ. de phlebotomia basilicæ lateris dolentis, uel alterius. Si lateris dolentis, tunc Auic. mens est, quod in pleuritide secãda sit basilica lateris dolẽtis: si alterius, tũc ratio sua nulla prorsus erit, quia etsi basilicæ sectio lateris nõ dolẽtis, nõ euacuet ex affecto loco aliquid, de quo sit curandum, sectio tamẽ uenæ lateris dolẽtis (dicet aduersarius) ex affecto loco quãtum sufficiet euacuabit, nec exhibere medicamentũ purgãs oportebit. Amplius eodẽ cap. 2. dicit Auic. Quũque phlebotomas, & euacuas, &
,, nõ sedãtur accidẽtia, &c. non iteres phleboto-
,, miã. Et ĩ fine eiusdẽ c. dicit: Si aũt indiges phle-
,, botomia in speciebus pleurisis, & nõ est matu
,, ratio, tunc rectius est ut sis contẽtus quãtitate
,, xxx. põderũ, & præpara ad secũdationẽ, cum
,, sale & oleo super uulnus. Clarè constat ex his
dictis Auic. uel tantũ unã uoluisse uenæ sectionem in pleuritide; uel si duas, eas fieri in eadem
uena,

uena. Nã si secũda misſio ſanguinis in alia uena fieri deberet, q̄ prima, nõ oporteret oleo & ſale uulnus primæ præparari, ut ſecũda fieret: Et quum ſecũda uenæ ſectio fienda ſit, in uena quę intus lateris dolẽtis, relinquitur, quòd etiã prima de mẽte Auic. in eadẽ uena fieri debeat. Qui enim uolunt primã ſanguinis miſsionẽ in latere fieri nõ dolete, ſecundã faciunt in latere dolente. Gal. quoque in trac. de ſectione uenæ doctr. 11. ſumma 11. c. 2. In omni affectu miſsione ſanguinis indigente iteratã uenæ ſectionem laudat, niſi cum ad animi defectũ uacuationem ducere cõueniat, non tamen ex uarijs uenis in pleuritide, ſicut in angina miſsionẽ ſanguinis facit. Rurſus quãdo materia maximè fluit, tũc maxime retractio cõuenit, ut ex ſentẽtia Hippocratis in libro de Humoribus, quam ponit Gal. 4. de morbis curandis, dicẽs: Cuius etiam ipſius rei diſcrimẽ in libro de Succis nos edocuit, auertere nos iubens ad cõtraria, deriuare uerò ad latus: quin etiã quũ maxime fluit, tum ad diuerſa reuellere. Dictum uerò & de hoc in eo libro, quare nunc quoq; ſi etiã tantũ fluxio ualẽter irruat, reuellere ad contraria ſtudebimus. Vtiq; ſi ulcus in ſuperioribus conſiſtat, inferna purgãtes: ſi autẽ in inferioribus ſit, ſuperiorem uentrem uacuantes. At ſi iam fluxio reſtitit atque in membro inhæſit, deriuare per uicina magis expedit, quum in propinquiora

,, translatio fit, & purganti medicamento prom-
,, ptior tum accessus, tum attractus è uicino de-
tur. Sententia partis huius est, Quòd si fluxio ualenter irruat, expedit retrahere: si uerò fluxio cessauit, & humor membro inhæsit, conuenit deriuare. Ex quibus extremis medium datur intelligi, quòd scilicet ubi fluxio remissior est, & humor pro parte membro inhæsit, licet etiam pro parte remissius fluat, tunc partim retrahere, & partim deriuare conueniat. De hac etiam Gal. autoritate dicetur infrà in solutione secundę rationis pro cõtraria parte. Et quum humores in nostro corpore fluentes, extra corpus quandoq; ferantur, ut in fluxu sanguinis è naribus, aut per sedis, uel matricis uenas, in nulla parte corporis firmati uel retenti, sed liberum habentis ac uelocem decursum, & exitum. Quãdoq; uerò in aliqua parte corporis nostri firmantur ad phlegmonem faciendam, & non extra corpus feruntur, & tũc propter impedimentũ repertum lentè fluant, ueluti aqua uelocius defluit, quando liberum habet decursum, & exitũ, quàm si aliquod sibi obijciatur impedimentũ. Conspicuũ est, quòd maior est intentio retrahendi, quãdo uelociter extra corpus fluũt, q̃ si in aliqua parte corporis firmentur, quia tunc non modo retrahere, sed à loco læso educere oportet. His cognitis quũ Auic. quinta tertij, c. 9. in uehemẽti fluxu

ſanguinis è naribus, in quo maximè conuenit retractio, miſsionẽ ſanguinis ex oppoſito latere non faciat, ſed ex eodem, multo magis ubi phlegmone cœperit, & proinde minor ſit intentio retrahendi, non ex oppoſito, ſed ab eodem latere ſanguinem mittet: ſunt hæc uerba ſua: In eo autem fluxu, qui prauior eſt eo, & factus eſt propter feruorem & caliditatem uehementem, aut eruptionem arteriarum, neceſſaria eſt phlebotomia cephalicæ, quę ſequitur illam narem. Et ſubiungit: Et quãdoq; oportet, ut extrahatᷣ ſanguis per phlebotomiam uſq; ad ſyncopim ex cephalica, aut uena ſpatulæ, &c. Et ſubdit: Et illud in fluxu ſanguinis narium uehementis uelocitatis. Et ſubdit: Sed ſi non fuerit uelox uehemẽter, ſed fuerit guttatim, & fuerit cum paroxyſmo, oportebit tunc ut fiat phlebotomia paulatim uicibus continuis, &c. Item cùm Auic. in angina ſanguinẽ mittat ex humerali uena partis affectæ, pari modo ſanguinẽ mittet in pleuritide ex uena, quæ intus partis affectæ, neq; enim ratio diuerſitatis aſsignari poteſt, quum tanta ſit ab axilla brachij ad aliquas partes pectoris diſtantia, quanta eſt ad partes gutturis ab humero. Dices fortè, Auic. nona tertij, c. 10. & 11. nõ dixit ex qua uena in angina ſit fiẽda ſanguinis miſsio. Reſpondetur, quòd ex quo nõ expreſsit, quæ uena ſit incidenda, reliquit hoc intelligendum ex uni-

uersali regula suprà declarata, quæ seruata distantia tanta, quãta est ab humero ad humerũ, seruari iubet communicantiam, & rectitudinẽ, quæ seruari nõ possunt in angina, nisi uena humeralis eiusdem partis incidatur. In cuius incisione debitam seruari distantiam ex eo patet, quòd maior à cubito ad guttur sit distantia, quàm ab humero ad humerum. Præterea post uenæ sectionẽ, quam præcipit in angina, paulò pòst eadem die uenas incidit sub lingua. Verùm si in angina secaret primam uenam lateris oppositi, priusquam ad sectionem uenarum sub lingua deueniret, humeralem eiusdem lateris incideret: pari modo quando multis in locis non expresse dixit Auic. quæ uena sit incidenda, id intelligẽdum ex uniuersali regula sua reliquit, alioqui ualde diminutus fuisset. Veniendum nunc est ad Auic. uerba, decima tertij, tract. v. c. I. ubi loquens de cura communi apostematũ
,, partium pectoris & pulmonis, sic habet: Ex
,, rebus cõmunibus est phlebotomia, sed in prin
,, cipio ex latere diuerso, & magis festina de sa-
,, phena opposita in longitudine: Et post ipsam
,, de basilica opposita in latitudine: & post ipsam
,, de nigra opposita in latitudine. Si autem non
,, appareat, tunc non oportet ut dimittatur phle
,, botomia cephalicæ, quamuis sit eius iuuamẽ-
,, tũ minus & tardius. Deinde post aliquot dies
,, ex latere conueniente in latitudine, & quan-

doque

docꝗ ponuntur uentosæ super pectus cum sca- ,,
rificatione, etiã ut attrahatur materia ad exte- ,,
riora, & minoretur, & proprie quum præmis- ,,
sa fuerit phlebotomia, &c. Hæc ferè omnes cla ,,
rissima iudicant in fauorem contrariæ positio-
nis. Ergo uerò nonnullis antè declaratis, Aui-
cennam & Galenum fuisse concordes ostendã.
Præmittatur itaꝗ quòd Auicenna multis in
locis, quum de cura pertractat aduersæ ualetu
dinis, ostendit etiam quid ante sui principium
in præseruatione sit agendum, ut uidere licet
tertia tertij, c. 9. de cura ophthalmiæ, quũ dicit:
Et oportet quidem ut uisus patientis ophthal ,,
miam non cadat super albedinem, & super ra- ,,
dios, imò sit quod substernitur ei, & quo ipse ,,
circundatur nigrum & uiride, & super faciem ,,
eius suspendatur pannus penitus niger appa- ,,
rens oculo eius: Et niger quidem sit in dispo- ,,
sitione ægritudinis, & cœlestis in dispositione ,,
sanitatis, quando scilicet intẽdimus ab ophthal ,,
mia præseruare. Quam sententiam accepit à
Gal. in primo de causis symptomatum, quum
dicit: Igitur non ab re cæruleus color ut uisio- ,,
ni iucundissimus est, ita maximam quoꝗ præ- ,,
bet utilitatem, sed non illi, quæ à sole discussa ,,
est: huic enim utpote iam ægrotanti contra- ,,
rium adhibendum est remedium (color scilicet ,,
niger, ut suprà dixerat) Ei uerò quæ sana est, ,,
sed fatigata, color cæruleus fuscusꝗ saluberri- ,,
ma sunt

,, ma ſunt ſpectacula : neq; enim diſcriminant, ut
,, ſplendor candorq; : neq; atri coloris exemplo
,, ipſam cogũt & extinguũt. Idem uideri poteſt
,, nona tertij, c. 11. quum dicit: Et illum quidem
,, qui aſſuetus eſt incurrere ſynanches, oportet
,, ut phlebotometur, antequàm accidant, quan-
,, do uidetur repletio, & quum eſt uer. Neq; id
mirum cuiquam uideri debet, quum eius intẽ-
tio ſit tertio canonis, non de cura ſolum, ſed de
ſanitatis particularium membrorum conſer-
uatione, ac præſeruatione pertractare: ut clarè
,, dixit primo canonis, c.1. quum dicit : Deinde
,, loquar de ægritudinibus, quæ in unoquoque
,, contingunt membro: prius tamen incipiam ab
,, anatomia illius mẽbri, & eius iuuamento. Pòſt
,, ſubdit: Quum autem membri anatomiam con
,, ſummauero, in quàm pluribus locis demon-
,, ſtrare incipiam, quomodo eius conſeruetur ſa-
,, nitas, &c. Quamobrem non abſq; ratione dici
poteſt, Auicennam hic loqui de miſsione ſan-
guinis in pleuritide in eius principio, ante prin
cipium, & poſt principium per aliquot dies, ut
clarius dicetur. Pręmittatur etiam, qum Auic.
dicit: Et poſt ipſam de baſilica oppoſita in lati-
tudine, & poſt ipſam de nigra oppoſita in lati-
tudine: non intendit, quòd tam multæ ſemper
fiant phlebotomiæ, ſed intendit, quòd ſi una
non inuenitur, alia ſecetur. Et ideo ſubiungit:
Si autem non appareat, tunc non oportet, ut
dimittatur

dimittatur phlebotomia cephalicæ: Nanque inuenta uena interna, nullus est, qui in pleuritide sanguinem mittat ex media. Quare quũ dicit, & post ipsam: exponi debet, Et si ipsa non inueniatur. Præmittatur insuper fuisse apud antiquos, qui in cura pleuritidis non præcedente uenæ sectione cucurbitulas cum scarificatione super loco dolẽte ponebant: ut uidere licet ab Alexandro Tralliano in c. proprio, quum dicit: Scire autem oportet quòd multi, & maximè in quibus plenitudo sanguinis non satis inesse uidetur, scarificatione usi sunt, & cucurbitulas mox post incisionem superposuerunt, ut nociuus humor, qui in profundo continetur, exiret. Hoc enim facientes, mirati sunt, quomodo tam confestim dolores amputati sunt, ut non amplius opus haberent fomentatione, uel alio adiutorio. Optimum igitur, & ualde utilissimũ, in quibus parua plenitudo fuerit, hoc uti adiutorio. Nec dici potest, quòd intelligat Alexander, præcessisse uenæ sectiones opportunas: quia non dixisset, in quibus plenitudo sanguinis non satis inesse uidetur: sed indifferenter in omnibus: Nempe his, quibus plenitudo sanguinis inest (factis prius uenæ sectionibus opportunis) cucurbitulas cum scarificatione superponendas esse scripserũt quàm plures. Ille etiam loquendi modus, Et maximè in quibus plenitudo sanguinis nõ satis inesse uidetur,

detur, indicat, quòd etiam ſtante ſanguinis plenitudine cucurbitulas applicabant loco dolẽti cum ſcarificatione: licet magis id facerent, ubi ſanguinis plenitudo nõ aderat. Id ex ſimili modo loquendi Auic. colligit̃ decima tertij, tract.
„ v. c. 1. quum dicit: Et quandoq; ponuntur uen-
„ toſæ ſuper pectus cum ſcarificatione, etiam ita
„ ut attrahatur materia ad exteriora, & minore-
„ tur: & propriè quum præmiſſa fuerit phlebotomia. Ille modus loquendi, Et propriè quum præmiſſa fuerit phlebotomia, indicat quòd etiam non præmiſſa phlebotomia, nonnunquã uentoſæ cum ſcarificatione ſuper loco dolente ponuntur. Præmittatur quoq;, quum Auic. dicit eſſe mittendum ſanguinem, & uenam determinatam non exprimit, uult illam eſſe intelligendam ex uniuerſali ſua regula quarta primi poſita, ſupraq; declarata: alioquin ualde diminutus fuiſſet. His habitis, dico quòd Auic. in præſenti autoritate uult nobis oſtendere, quæ uena in principio pleuritidis, & quæ ante principium, & poſt aliquot dies ſit incidenda, ſi à principio uel neglecta, uel diminute facta fuerit uenæ ſectio. Quamobrem dicit: Ex rebus communibus eſt phlebotomia, ſed in principio ex latere diuerſo, id eſt, ex parte diuerſa à parte læſa: ut oſtenderet non eſſe ducendum ſanguinem ex loco læſo, prout aliqui ex antiquis faciebant. Quæ uena in quo brachio ſit incidenda

incidenda, reliquit intelligendum ex uniuersali regula sua, in qua uult ultra diuersitatem, seruandam esse communicantiam, & rectitudinem, & debitam distantiam; Quæ omnia seruari suprà declaratum est, incisa uena, quæ intus lateris dolentis. Deinde subiungit: Et magis festina de saphena opposita in longitudine: id est, & magis festina, quàm in principio: id est, ante principium in præseruatione secanda est saphena opposita in eadem longitudine, in qua consueuit pleuritis uenire, quod suprà dictum est esse de mente Galeni. Subiungit: Et post ipsam de basilica opposita in latitudine: id est, si non inueniatur saphena, in præseruatione basilica lateris oppositi secanda est: Et si non secetur, nigra: quæ si etiam non appareat, non dimittatur sectio cephalicæ. Totum hoc dicit Auicenna in præseruatione, in qua non intendimus ab affecto loco euacuare, sed tantum retrahere: quia uel saphena secanda est, uel ea nõ apparente, secandæ sunt uenæ brachij oppositi loco dolenti. Ex quibus omnibus à loco pati consueto materia retrahetur: id est, à loco, in quo pleuritis esse consueuit. Subiungit deinde: Post aliquot dies ex latere conueniente in latitudine: id est, si occurras ægrotanti post aliquot dies à principio morbi, & indigeat missione sanguinis, uel quia à principio facta non fuerit copiosa, sicut oportebat, uel quia fuerit neglecta,

neglecta, fiat tunc ex latere conuenienti in latitudine. Dixit, Conueniēte in latitudine; quia prius dixerat in præseruatione ex latere opposito in latitudine, ne idem intelligeres in cura. Quæ uena in eo latere conueniente in latitudine sit incidenda, reliquit intelligendum ex communi regula, quòd sit uena magis communicans, & è directo parti læsæ. Proinde si interna sit apparens, ea secabitꝰ: si non, media: si non, humeralis, ut prius dixerat in præseruatione. Subiungit: Et quandoq; ponūtur uentosæ super pectus cum scarificatione, etiam ita ut attrahatur materia ad exteriora, & minoretꝰ. Et propriè cùm præmissa fuerit phlebotomia: id est, aliquādo post aliquot dies à principio morbi, quum plenitudo sanguinis non satis inesse uidetur, ut dixit Alexander Trallianus, ponūtur uentosæ, &c. Et propriè quū præmissa est phlebotomia; id est, melius est tum, ut phlebotomia præmittatur. Hæc interpretatio nullam dictionem textus extorquet, sententiamq; facit Auicennæ cū Galeno prorsus concordem. Quare clarum satis arbitror esse his, qui diligenter omnia considerabunt, Auicennam & Galenum in hac quæstione fuisse concordes. Si quis tamen credere uoluerit Auicennā Galeno contradicere, saltem negare non deberet Hippocratis, Galeniq; sententiam cæteris omnibus esse præferendā. Nunc ad Auenzoar opinionem

opinionem accedamus, quam ferè omnes cla-rissimam esse ponunt, pro communi recentiorum opinione, quum I. lib. tract. XVI. ca. 3. loquens de pleuritide, sic habet: Et cura huius est ,, phlebotomare infirmum ex basilica brachij op ,, positi, quamuis quibusdam nouis medicis no- ,, stri temporis uideatur, quòd sit minuendus ex ,, eadem parte ægritudinis, inducendo super hoc ,, uerba logicalia, & sophistica, quod mihi nulla- ,, tenus uidetur esse rationabile, necq; uerũ: imò ,, credo certissimè, quòd facere illud, sit omnino ,, mors infirmi. Pro huius textus expositione, ,, uidebimus primùm, quid per minutionem sit intelligendum, subinde stante pleuritide lateris dextri, quæ apud Auẽzoar sit oppositi brachij basilica, unde clarus erit huius textus intellectus: Minutionẽ sic describit Auic. quarta primi, c. 3. Minutio quocq; est euacuatio hu- ,, moribus æqualiter augmẽtatis propria: Eua- ,, cuatio uerò humori, qui in quãtitate solus au- ,, gmentatur, aut in qualitate corrumpitur, pro- ,, pria est, alia à minutione: & est quam Hippo- ,, crates, & Galenus purgationem appellãt. Erit ,, ergo minutio illa, quæ non determinatum humorẽ, sed omnes indifferenter minuit, & quasi æqualiter. Purgatio uerò quæ determinatos humores educit, sicut ea, quæ cum medicamẽtis fit purgãtibus. Quæ indifferẽter omnes humores minuũt, enumerat Gal. in comm. XVII. *Min[...]* *Purg[...]*

aph. ſecundę part. ponens eandem ſententiam,
quam in prædicto textu poſuit Auic. quũ di-
io. cit: Quòd autem euacuationẽ ſimpliciter Hip-
,, pocrates dicere conſueuerit, quando humores
,, omnes æqualiter euacuantur: purgationem au
,, tem, quando ſupple, non omnes, ſed praua affe-
,, cti qualitate, ſupple, educunt, meminiſſe opor-
,, tet: & quod præſens ſanatio, non à purgatione
,, facta, ſed euacuatione, atteſtatur illi, quæ fuit
,, de multitudine exiſtimationi: Euacuatio autẽ
,, omnium humorũ æqualiter, quæ quidem ex-
,, quiſitiſsima eſt, fit per uenæ ſectionem. Proxi-
,, ma autem huic eſt, quæ per tibiarum ſcarifica-
,, tionem, ut nos facere conſueuimus, & quæ per
,, exercitia, & frictiones, & balnea, & prętere a ex
,, accidente per inediam. Id quod dicit Galenus
Hippocratem conſueuiſſe nominare ſimplici-
ter euacuationem, nominat Auic. minutionẽ:
id autem quod purgationem Gale. appellat,
Auicenna nominat euacuationem, aliam à mi-
nutione. Idem clarè dixit Gal. in cõm. 11. aph.
,, quartæ partic. quum dicit: Melius igitur for-
,, taſſe fuerit de omnibus euacuationibus, quas
,, medici moliuntur circa ægrotantium corpora
,, ſermonem repetere. Poſtea ſubdit: Clyſterem
,, quoque ex hoc genere feceris, & quodcunque
,, aliud, quod non totum corpus æqualiter eua-
,, cuat, quemadmodũ uenæ ſectio creditur eua-
,, cuare, & omnino ſanguinis miſsio quæcunq;,
& quouis

& quouis modo facta. Ex talibus autẽ est eua- ,,
cuationibus, & quæ per uterum fit, & per ora ,,
uenarum sedis, siue per exercitia & frictiones, ,,
& omnem motum, atq; calorem, & balneas ca- ,,
lidas, præsertim nitrosas, sulphureas, & bitu- ,,
minosas, & ex accidenti inedia. Hæc siquidem ,,
omnia uidentur totum æqualiter corpus eua- ,,
cuare. Si quis tamen exactius perquirat, non ,,
æqualiter inueniemus euacuari, uerùm in his, ,,
quum sit paruus excessus alterius ad alterum, ,,
secundum eorum quæ euacuãtur qualitatem, ,,
& quantitatem, ideo æqualis euacuatio uide- ,,
tur. Attamen quæ pharmaca purgantia nomi- ,,
nantur, speciem faciunt euacuationis manife- ,,
stè differentem: de quibus (ut dixi) nunc ipsi ,,
docere propositum, &c. Ex his clarè constat, ,,
quòd eductio sanguinis facta cucurbitulis cũ
scarificatione adhibitis, minutio nominatur,
quia quemlibet humorem indifferenter in ue-
nis contentum educit, & non aliquem deter-
minatum, sicut in purgatione cum medicamẽ-
to purgante fieri uidemus. Quod uerò spectat
ad id declarandum, quæ oppositi lateris sit ba-
silica: Quum triplex in nobis sit dimensio, lon-
gitudo, latitudo, & profunditas, triplex quoq;
ponetur oppositio, in longitudine, & latitudi-
ne, ac profunditate: oppositorum quędam sunt
extremè opposita, quædam non extremè, sed
medij ad extremum, uel medij ad medium op-

positione. Quare extremè quidem opposita in longitudine sunt, quæ in eadem longitudine posita, maximè distãt: opposita uerò nõ extremè sunt, quæ in eadem longitudine posita distant, sed non maximè. Et quæ in longitudine sunt opposita, suprà declarauimus opposita dici in rectitudine, idemq; esse longitudinem, & rectitudinem. Extremè opposita in latitudine sunt, quæ in tota nostra latitudine posita, maximè distant: opposita non extremè sunt, quæ in latitudine distant, licet non extremè. Dixi in tota latitudine, & non in eadem latitudine posita, quemadmodum de oppositis in longitudine dixi in eadem longitudine posita, quia licet duplex sit latitudo dextra, sinistraq;, sicut duplex est longitudo, dextra & sinistra: quælibet tamen longitudo tam dextra, q̃ sinistra tanta est, quanta longitudo totius: sed latitudo siue dextra, siue sinistra, non est tanta, quanta latitudo totius. Pari modo de oppositis in profunditate dicendum est. Inter has tres oppositiones, ea quæ secũdum longitudinem, aut rectitudinem maior est & potior in remedijs, & est, quam Hippocrates & Galenus tantum laudant in suis antè declaratis autoritatibus. Idcirco quum dicũt autores ex opposito, nisi limitent se de qua intelligãt, de oppositione secundum rectitudinẽ, tanquam de potiori sunt intelligendi. Quare quum Auenzoar II.

lib.

lib.tract.III. cap. de apostematibus testiculorum, dicit: Stude ergo phlebotomare patiẽtem ex basilica, si fuerit ægritudo ex abundantia sanguinis ex opposita parte ægritudinis, intelligendus est ex opposita parte secũdum rectitudinẽ. Magnæ nanque foret inscitiæ, phlegmone stante in dextro testiculo, uenam secare basilicam in brachio sinistro, & non modo contra Hippocratis & Galeni mentem, sed etiam contra mentem Auic. qui uicesima tertij, c.2. de calidis testiculorũ apostematibus loquens, dicit:
Et quandoque post phlebotomiam uenæ manus ,,
secundò fiat phlebotomia de saphena. Et opor- ,,
tet ut attendatur latus doloris, & fiat phlebo- ,,
tomia ex latere eius, & si fuerit in utrisque testi- ,,
culis simul, accipiatur quod necesse est accipe- ,,
re de sanguine ex utrisque manibus simul. Eui- ,,
denter hic ostendens in phlegmone testiculorũ in primis secandam esse uenam in manu, id est, in brachio eius partis, in qua dolor existat: deinde in pede similiter eius partis in qua dolor habetur. Nam si in phlegmone iecoris interna uena dextri brachij secatur, ut ab omnibus ferè conceditur, multo magis in phlegmone dextri testiculi, ex interna dextri brachij. Et in phlegmone testiculi sinistri, ex interna sinistra sanguis mittetur. Vnde constat, quando uicesima tertij, trac.IIII.c.12. in phlegmone matricis dicit esse basilicam & saphenam secandas,

intelligit in ea parte, in qua dolor habet. Tum quia eadem ratio est de testiculis in uiris, & de matrice in mulieribus: tum quia, quum nō determinat ex qua parte, intelligitur ex uniuersali regula sua, quod seruetur communicantia, & rectitudo, quæ seruari nequeunt, nisi uena eiusdem partis, in qua est dolor, incidatur. In q pluribus etiam locis Auic. quum dicit simpliciter oppositum, intelligit oppositum secundū rectitudinem uicesimaprima tertij, tract. IIII. c. 9. loquēs de cura declinationis matricis, dicit:
" Oportet ergo ut phlebotometur saphena, par-
" tis, cui opposita est pars declinationis. Si sentit repletio, certū est, quòd in dispositionibus matricis & testiculorum Gal. & Auic. uolunt sectionē uenæ fieri in eadem parte, in qua est læsio: igitur intelligit incidendam esse saphenam partis cui opposita est secundum rectitudinem pars declinationis. Rursus nona tertij, c. 10. de
,, uitijs gutturis, & angina, dicit: Oportet ut eua
,, cuetur in principio uniuscuiusq; illorum ma-
,, teria faciens illud cum phlebotomia, & solu-
,, tione uētris, & ut trahatur materia ad partem
,, diuersam, saltem cum uentosis positis super lo
,, ca longinqua opposita ei, & ligatione extre-
,, mitatum dolorosa. Certum est, quòd Auicenna seruat regulam suam quarta primi, c. 3. positam. Non oportet ut in duos diametros prolongationem facias; igitur quum dicit, super

loca

loca longinqua oppoſita ei, intelligit oppoſita
ſecundum rectitudinem. Amplius Auicenna
prima tertij, tract. 1. c. 29. loquens de cura ma-
læ diſpoſitionis capitis, dicit: Et ſi fuerit pro- ,,
pter communitatem membri phlebotoma ue- ,,
nam utriſque communem. Si uis euacuare ex ,,
ambobus ſimul, & materia eſt quieta: & ſi uis ,,
trahere ad partem cum euacuatione membri ,,
communicantis, phlebotoma uenam commu- ,,
nicantem membro antecedenti cum ægritudi- ,,
ne, & cadat in contrario partis capitis. Expo-
ſuit Iacobus de Partibus, in cõtrario partis ca-
pitis, ſecundum ſuperius & inferius, quod eſt
contrarium ſecundum rectitudinem: Nam do-
lente dextra parte capitis ob communitatem
dextræ partis matricis: ſi intẽdis à matrice ua-
cuare, ſecanda erit ad mentem Auic. uel ſaphe-
na dextra, uel baſilica dextra, quæ ſunt in con-
trario partis capitis læſæ ſecundum rectitudi-
nem, & non ſaphena ſiniſtra: quia tũc retractio
per duas fieret diametros. Itẽ quinto de mor-
bis curandis, c. 3. ſecundũ antiquam traductio-
nem, quę facta creditur ex Arabico in Latinũ:
Dicit Gal. Similiter, ſanguine è naribus multo ,,
exeunte, uentoſa in latere inducenda eſt: Sed ,,
tamen ſi fluxus de nare dextra manauerit, po- ,,
nenda eſt ſuper hepar; ſi uerò è ſiniſtra, ſuper ,,
ſplenem imponatur; ſi autem de utriſq;, & in ,,
hepate, & in ſplene uentoſa magna imponatur. ,,

,, Quòd si æger adhuc non defecerit, & uirtus ,, adhuc custodiatur, sanguis minuatur de uena ,, brachij, quod nari unde fluit, oppositũ est: san- ,, guis tamen paulatim extrahatur. Vbi enim in noua traductione & textu Græco dicit, Vena sub eo cubito incidẽda est, qui profusioni è directo respondet, habet antiqua uersio, quod nari unde fluit, oppositum est: & sic oppositũ intelligitur secundum rectitudinem. Hæc satis sint ad ostendendum apud Arabes oppositum multoties capi pro è directo: id est, pro opposito secundum rectitudinem. His exploratis dico quòd mens Auenzoar fuit, eos reprobare, qui in principio pleuritidis cucurbitulas cum scarificatione loco dolenti superponebant: & ostendere, quòd basilica, quæ è directo est parti læsæ, sit incidenda. Quamobrem dixit, Cura huius est phlebotomare infirmum ex basilica brachij oppositi: id est, secũdum rectitudinem oppositi, & est quod parti læsæ respondet è directo: quamuis quibusdam nouis medicis nostri temporis uideatur, quòd sit minuendus ex eadem parte ægritudinis, id est, quòd uentosæ cum scarificatione parti læsæ sint apponendæ, per quas (ut ex dictis patet) minutio fit ex eadem parte ægritudinis: quod facere, dixit esse certissimè mortem infirmi. Si nanque uoluisset eos reprobare, qui basilicam incidunt, ex ea qua dolor afficit parte, dixisset, quamuis

quibusd

quibuſdam nouis medicis noſtri temporis ui= deatur, quòd ſit mittendus ſanguis ex brachio eiuſdem partis ægritudinis. Neque enim ueri= ſimile eſt Auenzoar Galeno contradicere, de quo primo lib. tract. XI. cap. 2. loquens de de= coctione ex cancris fluuialibus facta, dixit: Et „ poſtquàm Galenus hoc affirmat, credēdum eſt „ certiſsimè quòd ſic ſit, quum ſit talis ac tantus „ in hac arte. Præterea lib. I. tract. XV. cap. 6. de pleuritide mediaſtini loquens, dicit: Vnde in „ huius curatione phlebotomia eſt neceſſaria „ ualde in principio, & non determino in hac „ ægritudine, ex qua parte fieri debeat: quia ex „ quacunq; parte fiat, confert ualde, dummodo „ fiat ex baſilica. Clarè uolens non eſſe minuen= „ dum cucurbitulis cum ſcarificatione ſuper lo= co doloris, nec ex alia brachij uena, quàm ex baſilica: quumq; in pleuritide dextri lateris phlegmone poſsit eſſe propè mediaſtinum pā= niculum ac ipſum tangere, non uideo quomo= do baſilicæ dextræ ſectio ſit eo caſu mors in= firmi. Et in phlegmone mediaſtini eiuſdem ba= ſilicæ ſectio ualde iuuat, quū phlegmonę ambę ſint propinquiſsimæ. Quinimò phlegmone mediaſtini, aliquid dextri ac ſiniſtri occupat. Idem dicas de ſiniſtri lateris pleuritide, media= ſtinum tangēte reſpectu baſilicæ ſiniſtræ. Re= ſtat igitur ut dicamus, Auenzoar uelle dunta= xat illos reprobare, qui cucurbitulas cum ſca=

rificatione loco dolenti superponebant, aut apparente basilica, uenam aliam secabant: nec solùm inchoante phlegmone uult Auenzoar secare uenam ex opposito secundum rectitudinem, sed etiam uenam magis communicantem, sicut in passionibus capitis cephalicam, & in passionibus pectoris basilicam, ut apparet libro 1. tract. 11. cap. unico, de ægritudinibus capitis, accidentibus ab extrinseco, sicut à per-
„ cussione, quum dicit: Si incisio facta tēdit usq;
„ ad panniculum, qui craneum exterius tegit,
„ dolorem fortem habet generare, & inde febrē
„ procreare: Conuenit ergo in hoc casu corpus
„ euacuare cum phlebotomia cephalicæ partis
„ oppositæ, quoniam in hoc casu semper intēdo
„ phlebotomare de opposito. Moderni uerò
„ medici innituntur dictis cuiusdam medici se-
„ nis, qui in Sibilia morabatur, nomine Bensfon
„ sages, quia uidebatur sibi sufficiens inclinatio
„ facta à superiori ad inferius, & in hoc casu phle
„ botomabat medianam, dicens, quod hæc con-
„ trarietas sibi sufficere uidebatur. Sed pater
„ meus minime hoc asserebat, imò iubebat am-
„ bas opiniones seruari, qui pater meus seruus
„ Regis nominabatur. Et hæc est mea opinio, &
„ eam seruaui, & seruo, & seruabo temporibus
„ uitæ meæ. Vult hic Auenzoar in uulneribus capitis non modo mittere sanguinem ex brachio opposito secundum rectitudinem, sed etiã

ex cephalica eiusdem brachij, quę uena est magis cõmunicans, & magis è directo parti læsæ. Medici uerò qui sequebãtur senem illum, sanguinem mittebant ex opposito brachio secundum rectitudinem, sed non ex cephalica, quare damnat eos. Et quum dicit, quòd pater suus iubebat ambas opiniones seruari, intellige ambas illas conditiones, rectitudinem scilicet, & communicantiam, quæ includuntur in illa dictione, è directo, ut infrà patebit. Et quum dicit, Quoniam in hoc casu semper intendo phlebotomare de opposito, supple è directo, & ex cephalica, sicut prædixerat. Ex his patet quòd Auenzoar dicta non repugnant, sed omnino sunt ad mentem Hippocratis & Galeni quoniam quum dixit, partis oppositæ simpliciter, intelligit oppositæ secundũ rectitudinẽ, ut suprà dictũ est. Nunc ad Haliabbatẽ accedamus, qui v. pract. c. 1. sic habet: Hæc significatio in ,, euacuatione ꝓdest materiei, & eius attractiõe, ,, uiaq́ꝫ & semita, q̃m si ad mẽbrũ aliquod mate- ,, ria defluit inspicimus, & si adhuc in fluxu po- ,, sita est materia, abstrahimus illam à mẽbro ab ,, illo remoto, in loco illi æquali, quẽadmodum si ,, mẽbrũ in superioribus corporis patiens sit, ab ,, inferioribus euacuamus corpus. Si uerò mẽ- ,, brũ patiẽs in inferioribus est positũ, materia à ,, sup̃ioribus euacuãda est. Euacuamus aũt eã à ,, latere patiẽte, scilicet si latere sit in dextro pas- ,, sio,

,, ſio, materiã materiam exinanimus à membro à
,, dextris: & ſi in ſiniſtro mẽbro, euacuatur à ſini
,, ſtro. Verbi gratia, quũ materia mẽbrorum ad ali-
,, quod qđ ſuper furculas eſt defluit, phleboto-
,, mia euacuat̃ cephalicę uenæ, ab eo quod infir-
,, matur latere: & ſi quæ ſub furculis ſunt in mẽ-
,, bris, aut corporis in medio, mediaſtinæ eua-
,, cuamus uenæ phlebotomo: & ſi in corporis
,, inferioribus, baſilicæ exinanitur uenæ minu-
,, tione à latere patiente. Volens hic Haliabbas declarare, quum materia fluit ad aliquod mẽbrum, licet pro parte membro inhæreat, quæ uena ſit incidẽda, uel per quem locum ſit educenda, dixit à membro remoto ab affecta parte, id eſt, habente debitam diſtantiam ab affecto loco, quia non eſt à membro læſo euacuatio fienda: ſubiunxit, & in loco illi æquali, id eſt, in loco, qui è directo eſt affectæ parti. Nam Galenus II. de arte curatiua ad Glauc. parte illa, At ex poſitu, ſecũdum Leoniceni traductionem, pro eodem habet rectitudinem & æqualitatẽ, quũ dicit: Quod enim ab Hippocrate κατ' ἴξιν, id eſt, ſecundũ rectitudinem dicitur, hoc ipſum eſt ſecundum æqualitatem. Dixi ſecundum traductionem Leoniceni, quia ubi Leonicenus habet ſecundum æqualitatem, textus Græcus habet κατ' ἰσότητα, quod rectius fortè interpretabitur, ſecundum amicitiam, aut communicãtiam, ita ut ſecundum rectitudinẽ, non modò

apud

apud Hippocratem ſignificet ex eadem parte, ſed etiam ex uena magis communicãte. Quare ſubiungebat Galenus, quòd in paſsionibus matricis uenæ interiores tam in cubito quàm in crure magis è directo ſunt affectæ parti, qđ ob aliud dici nòn poteſt, niſi quia magis parti læſæ ſunt communicãtes, & affines. Nam læſa matricis dextra parte, ſi ſecundum rectitudinem nil aliud includeret, quàm ex eadem parte dextra, non magis è directo parti læſæ foret baſilica, quàm cephalica dextri cubiti. Galenus tamen dixit, uenam quæ interior eſt eſſe magis è directo, nõ alia de cauſa, niſi quia parti læſæ magis communicat. Vnde clarè cognoſcitur apud Hippocratem idem eſſe ſecari uenam κατ' ἴξιν, id eſt, ſecundum rectitudinem, & ſecari uenam ex eodẽ latere, ac magis affectæ parti communicantem. Quod etiam clarè Haliabbas hic expreſsit, quum ſtante læſione ſupra furculas, uenam ſecari iubeat cephalicam ex parte patiente: & ſtante læſione in partibus inferioribus, baſilicam ex latere patiẽte. Quæ uerò de ſectione uenæ mediæ, ſeu communis dicit, intellige ſecũdum opinionem ſuam, quia IX. pract. cap. 3. uult medianam uenam magis euacuare à partibus, quæ ſunt à furcula ad hypochondria, baſilicam à partibus, quæ ſunt ab hypochondrijs infrà: quamuis in læſione pulmonis, aut pectoris baſilicæ ſectionem ſemper

iubeat,

iubeat. Alij uerò medianam secant, quando simul partes suprà furculam, & infrà patiuntur. In hac sua generali regula, uult semper esse secandam uenam quæ è directo est, & magis cōmunicans affectæ parti, modo debita distantia seruetur, ut in opinione Auicennæ dictū fuit. Et quum hîc regula ponatur generalis, si alijs in locis dicet Haliabbas esse uenā incidēdam, non exprimendo, quæ determinate secanda sit, id ex hac generali regula intelligitur. Idem clarè dixit III. pract. cap. 27. loquens de cura ,, phlegmones, quum inquit: Cuius autē ortus ,, est ex materierum decursu, primum euacua,, tione utendum cum phlebotomo ex compe,, tenti illi loco uena, hoc est, si fuerit membrum ,, in superioribus corporis apostematum, cepha,, lica incidatur: si autem in his, quæ in medio ,, sunt corporis, minuatur aquehela. i. mediana. ,, Quod si inferioribus mēbris, basilica minua,, tur à latere patiēte: quæ ita intelligātur, quoad ,, uenam mediā, siue aquehelam, ut prædictum ,, est. V. etiam pract. cap. 5. de cephaleæ medela, ,, dixit: Cephalicamq; minue, quò materia in ,, cōtrarium trahatur eius loci, quo morbus la,, borat, id est, in quo est morbus. Quum dicit in cōtrarium trahatur, intelligit in contrariū secundum rectitudinem, quum in uniuersali regula dixerit esse secandam partis affectæ cephalicam. Ex his apparet, quomodo intelligēdus

dus sit VI. pract. ca. de pleuritide, quum dicit: Quod quum ita sit, opus nos in huius dominũ,, passionis in principijs, si dolor ad furculas,, ascendat, phlebotomo uti basilicæ manus late-,, ri oppositæ passionis, quo passionis materia in,, contrarium distrahatur, partem ad quam su-,, perfluitas cœpit declinare: & si passio diutur-,, na sit, & materia iam roborata est, tunc passio-,, nis latere phlebotomo utaris, multumq́ ex-,, trahe sanguinẽ, idq́ secundo facere, &c. Quum,, dicitur basilicæ manus oppositæ lateri passio-nis, intelligit oppositæ secundum rectitudinẽ, quæ basilica est lateris patientis, ex cuius inci-sione materia trahitur in contrarium sui mo-tus, ut suprà in dictis Hippocratis amplè fuit declaratum: & quum ulterius dicit: Et si passio diuturna sit, &c. tunc passionis latere phlebo-tomo utaris, intelligit quando passio est diu-turna, & à principio fuit neglecta, uel diminu-tè facta phlebotomia, utaris phlebotomo ex latere passionis: uel scilicet phlebotomando medianam eiusdem lateris, quæ apud ipsum magis à partibus pectoris educit, quàm basili-ca, uel partem læsam scarificando, & cucurbi-tulas applicando, ut se declarauit V. pract. cap. I. postquàm de phlebotomia fienda dixit: & quando in principio, & quando diuturnæ pas-sioni medicus occurrit subiungit, de utraque intelligẽs: Multumq́ extrahe sanguinem, idq́

secundo

secundo facere adijcias: si uirtus, &c. Volens siue in principio, siue diuturnę passioni occurratur, duplicare phlebotomiam, & extrahere sanguinem ad coloris mutationẽ: quum itaq; uelit ex eadẽ uena duas facere phlebotomias, non faciet primam ex latere non dolẽte, quum secunda semper sit ex latere dolente fienda, neque etiam in sectione basilicæ lateris non dolentis mutatio coloris sanguinis est expectanda, ut suprà dictum est. Alia ipsius est autoritas IX. pract. c. 3. ubi postquàm de uenis omnibus, ex quibus sanguis mittitur, declarauit à
„ quo loco magis euacuatur, sic habet: Oportet
„ autem harum cuiusq; imminutionem à com-
„ petenti fieri latere, quodq; passioni oppositum
„ est, scilicet si passio fuerit in latere dextro, &
„ imminutionem fieri in sinistro expediat, sin,
„ econtra. Textus hic manifestam habet corruptionem, quem si ad mentem communis opinionis aptare uelimus, sic dicemus, scilicet si passio fuerit in latere dextro, immunitionem fieri in sinistro, & econtrà, quomodo duæ dictiões auferũtur, & scilicet ac expediat, & alia dictio mutatur in aliã, scilicet sin, in &: si uerò ad mẽtem Hippocratis & Galeni aptare uelimus, sic dicemus: si in dextro passio fuerit, in latere dextro, & imminutionem fieri in sinistro expediet, si econtrà. Quomodo duntaxat additur hic dictio in dextro: nihil autem diminuitur,

nuitur, aut permutatur: & Haliabbas à contradictione defenditur, secundum aliam literam nullo modo saluari poterit, quin hæc sententia regulæ suæ v. pract. cap. 1. positæ manifestè contradicat. Et quum dicit, Quodq́; passioni oppositum est; intelligit oppositum secũdum rectitudinem, ut sæpe diximus, sicut Haliabbatis dicta ad mẽtem Hippocratis & Gal. exposuimus. Pari modo Serapionis dicta liceret interpretari: uerùm quia tot textus in eis, sicut in Haliabbate sunt deprauati, ut eorum sensus uix intelligi posit, omisso Serapione, Rasis opinionem declaremus, in IX. ad Almãsorem cap. 1. sic habet: Quando rubedo & tensio, & grauedo in facie & oculis cũ istis affuerint: & tactus calidus sentitur, & pulsus fuerit magnus, ex cephalica fienda est phlebotomia in parte in qua est dolor, uel in qua dolor magis infestat. In hac parte clarè Hippocrati & Galeno cõsentit. Et quemadmodum in dolore capitis, sic in ophthalmia faciẽdum, quũ nulla sit ratio diuersitatis. Et proinde in cap. de ophthalmia dicit: In principio uerò curationis ophthalmiæ cephalica est phlebotomãda ex manu uel brachio partis contrariæ, in qua est oculus infirmus, nisi leuis fuerit ophthalmia: ut si dexter oculus ophthalmia laboret, cephalica est phlebotomanda ex brachio partis dextræ, ubi stat oculus infirmus. Dicitur autem pars de-

xtra pectoris oculo dextro contraria, uel opposita secundum superius & inferius, id est, secundum rectitudinem. Dixit, Nisi leuis fuerit ophthalmia: quia in leui, non est sanguinis missio necessaria. Qui uolunt textum Rasis aliter intelligere, duas addunt dictiones, sic intelligentes: In principio uerò curationis ophthalmiæ cephalica est phlebotomãda ex manu uel brachio partis contrariæ illi parti, in qua est oculus infirmus. Et præter id quod tex. addũt has duas dictiones illi parti, rationem reddere nequeunt, cur in dolore capitis in parte in qua est dolor, & in ophthalmia in parte contraria cephalica sit incidenda. Constat ex his, quando Rasis in ulceribus oculorum, in dolore auris, in narium dispositionibus, in dolore dentium, in angina, dicit esse secandam cephalicam, non determinando, in qua parte, quod debet intelligi ex ea, qua dolor afficit parte, ut in dolore capitis aperte dixit. Quum postea Rasis accedit ad ægritudines, quæ sub collo fiũt, de pleu-
,, ritide dixit: Fiat minutio ex basilica eius par-
,, tis, in qua est dolor, nisi totum corpus multo
,, sanguine repletum fuerit: tunc enim ex latere
,, contrario sanguinis detractio facienda est. Ae-
,, gritudo quoque si iam per aliquot dies à sui
,, principio ægrum infestauerit, phlebotomia si-
,, militer à parte dolente facienda est. In libro
,, quoqꝫ Diuisionum, c. 54. loquens de pleuritide

sanguinea

sanguinea dixit: Et cura eius est phlebotomia,,
basilicæ ex latere opposito, deĩde iteratio phle,,
botomiæ ex latere doloris in die tertia. De,,
pleuritide uerò colerica dixit: Et cura eius est phlebotomia, sed ex latere doloris de basilica. Loquens uerò de pleuritide melancholica, & phlegmatica dixit, fiendam esse phlebotomiã, non exprimens ex quo latere, quia iam in IX. ad Almansorem posuerat uniuersalem regulã, quod scilicet semper secanda basilica sit, ex latere dolente in pleuritide, nisi corpus multo sanguine repletum fuerit. Ex his clarè constat Rasim uoluisse in omni pleuritide non sanguinea, & etiam in sanguinea (nisi corpus multo sanguine repletum fuerit) secandam esse basilicam lateris dolentis. Quòd si corpus multo sanguine repletum fuerit, & medicus non occurrat ægro à principio, sed post aliquot dies, uel ob aliquam causam sit omissa uenæ sectio in principio, uult etiam secãdam esse basilicam lateris dolentis. In eo duntaxat casu, quo pleuritis est sanguinea, & corpus multo sanguine repletum, sectionem basilicæ facit in principio ex latere non dolente. Vnde satis euidens est Rasim ab Hippocrate & Galeno non differre, præterq̃ in casu dicto multæ repletionis sanguinis, in quo etiam casu iubent ipsi uenæ quę intus sectionem ex latere dolẽte. Quum uerò pleuritis ut plurimum sit biliosa, uel de san-

guine bilioso, ut dicit Gal. XXXIII. apho. VI. part. & Auic. X. tertij, trac. IIII. c. 1. relinquitur ꝙ ut plurimũ apud Rasim in pleuritide secãda uena sit ex latere dolẽte: quã uenæ sectionem, nõ deriuatiuam tantum, sed etiã diuersiuã esse declarauimus. Adducitur alia Rasis autoritas VII. ad Almansorẽ, quæ sic habet: Quũ in ali-
„ qua corporis parte calidũ exoritur apostema,
„ cuius tactus calidus sentit̃, eius curatio à phle-
„ botomia est incipienda, ut si in parte uidelicet
„ fuerit dextra, in sinistra de uena mediana fiat
„ phlebotomia, & è conuerso, si in sinistra, in de-
„ xtra phlebotomia erit fiẽda: phlebotomia autẽ
„ ex uena basilica, aut media est faciẽda. Clarè loquit̃ Rasis hoc loco de apostematibus, quæ in partibus corporis extrinsecis fiũt, de qbus aliter dicendũ est, ꝙ̃ de intrinsecis, ut de his diximus, quę in cruribus aut brachijs fiũt. Alia est Rasis autoritas IIII. Cõtinẽtis, c. 5. quę sic ha-
„ bet: Dico ꝙ si uisum fuerit uestigiũ apostema-
„ tis in latere, minutio fiat in manu opposita, &
„ sanguis inde emittat̃: pluries etiã minutio fiat
„ in pede, qui erit sublatus dolẽs, & apponenda
„ est uentosa super ipsum pedem: deinde fiat mi-
„ nutio in manu partis læsæ. Licet opinio Rasis certius habeatur in libris ad Almansorem, & in diuisionibus, quàm in Cõtinẽte. In quo prima sua fuit intentio aliorum dicta cõgregare: tamen dicẽdum est, quòd ibi loquitur de pleu-

ritide

ritide ſanguinea: neque credendum eſt, quòd uelit in eadem pleuritide plures facere phlebotomias in manu oppoſita, & unam in pede, & alteram in manu partis læſæ; ſed intelligendum eſt, quòd, ut plurimum in pleuritide ſanguinea in primis ſecanda eſt uena lateris non patientis, deinceps uena lateris affecti, etſi aliquando ſecari poſsit in primis uenæ pedis, ſubinde baſilica lateris affecti. Et licet (ut ſuprà declaratum eſt) Auicenna cum Hippocrate, & Galeno facilè concordari poſsit, facilius eſt tamen eum cum Raſi conciliare, ita ut eandem præciſe teneat opinionem, quam de mẽte Raſis eſſe declarauimus, & proinde x. tertij, tract. v. cap. 2. quum dicit Auicenna: Dicamus ergo,, qđ cura eius eſt phlebotomia, ſi ſanguis fuerit,, uincẽs, ſecundum modum prædictum in cap.,, quod eſt ante ipſum, & extrahatur ſanguis,, donec alteretur color eius: ſignificat enim, &c.,, Intelligitur quum pleuritis eſt ſanguinea, uincente ſanguine, ſecãdam eſſe uenam, ut dictum eſt in cap. præcedenti, in primis baſilicam oppoſitam in latitudine, partis ſcilicet non dolẽtis: Poſtea baſilicam in latitudine conuenientem, ſcilicet lateris affecti (quod enim dicitur de ſaphena, intelligitur in præſeruatione, ut declarauimus) Et extrahatur ſanguis donec alteretur color eius, &c. Intellige ꝙ ex duabus uenæ ſectionibus extrahatur ſanguis, donec

alteretur color eius,& non ex prima uenæ se-
ctione tantum. Quinimò mutatio coloris san-
guinis fiet ex sectione secunda, quæ de basilica
lateris dolentis fieri debet. Ibidem quũ loquu-
tus est de pleuritide sanguinea, subdit: Et si est
humor alius, euacua, &c. id est, in alia pleuriti-
de, q̃ sanguinea conuenit euacuatio uel sola,
dolore descendente, uel cum phlebotomia, quã
oportet intelligere de basilica lateris dolentis,
ut ex his, quæ in concordia Auic. cum Hipp.
& Gal. diximus apertè constat. Conueniunt
igitur Rasis & Auicẽ. quòd in omni pleuriti-
de (præterq̃ in sanguinem, in qua corpus est
multo sanguine repletum) quando conuenit
uenam incidere, secãda sit in primis interna la-
teris dolentis uena: Idq; quod Hip. & Galenus
uniuersaliter, ac semper fieri iubent: Rasis &
Auic. uerificãt in pluribus, adeò ut apud ipsos
ferè in omni pleuritide, secanda primum sit la-
teris dolentis basilica, neq; remotum, aut incõ-
suetum est, ut absolute dicta Hip. in pluribus
uerificẽtur. Nam Gal. vi. part. aph. in cõmen-
to aph. Si omentũ excidat, necessariò putrescit,
aperte dicit commune esse illi aphorismo ad
alios aphorismos Hip. quod licet ex figura di-
ctionis, aut ui uerborũ perpetuũ aliquid ostẽ-
dat; satis tamẽ est, quod magna ex parte soleat
sic accidere, q̃uis raro aliquãdo aliter accidat.
In libro Diuisionũ, c. 63. loquens Rasis de ca-
lidi

lidi apostematis in hepate curatione, dicit: Cura eius, quum est incipiens, & usque ad hebdomadam unam est phlebotomia cephalicæ, in latere dextro: dicere debet, basilicæ. Nam in IX. Almansoris in curatione apostematis hepatis & stomachi, dicit esse secādam basilicam. In paßionibus etiam renum, matricis, & testiculorum, basilicā uult secari, & quamuis non dicat, ex quo latere, debet intelligi ex affecto latere, quia si basilicæ sectio lateris dolentis conuenit paßionibus iecoris, longe magis renum, matricis, & testiculorū paßionibus conueniet, quum plus distent ea membra, quàm iecur à cubito. Mesue quoque eiusdem opinionis esse uidetur cum Rasi. Postquàm enim septem posuit intentiones habendas ad faciendum lateris dolorem per resolutionem terminari, in exequutione tertiæ & quartæ iubet in pleuritide sanguinea basilicæ sectionem in primis ex latere non dolente, deinceps ex latere dolente, addendo saphenæ sectionem, ubi multa sit plenitudo, & quod in prima sectione basilicæ lateris non dolentis educatur sanguis usque ad coloris mutationem. Posita sententia sua de sanguinea, subiungit: si autem materia cholerica fuerit, tunc phlebotomia, & uentris solutio necessaria est: & similiter si phlegmatica, aut melancholica fuerit. In dolore igitur lateris ab alijs humoribus, quàm

à ſanguine facto, unam tantum uenæ ſectionem præcipit: Nam ſi plures uoluiſſet uenæ ſectiones, quemadmodum in ſanguinea pleuritide dixit, ita dixiſſet in alijs, in primis ſecandam eſſe uenam lateris non dolentis, deinde lateris dolentis: aut dixiſſet, neceſſariæ ſunt phlebotomiæ, & ſolutio uentris. Quum autem in curatione doloris lateris, una tantum uenæ ſectio fienda eſt, illa ex latere dolente fieri debet: nullus enim eſt, qui tantum miſsionem ſanguinis diuerſiuam in curatione pleuritidis ex latere non dolente faciat. Relinquitur opinionem Meſue concordem eſſe cum Raſi & Auicenna duobus exceptis, in quibus errat, tum quòd credidit ſecandam eſſe ſaphenam in curatione doloris lateris, quum tamen Auicenna, & Galenus ſectione ſaphenæ utantur in præſeruatione, ut ſuprà diximus: tum quòd dicit ſectionem baſilicæ lateris non dolentis fiendam eſſe ad coloris ſanguinis mutationem, quum tamen alij uelint hanc mutationem coloris expectari, quãdo baſilica lateris dolentis inciditur. Non modò, quæ recitatæ ſunt opiniones omnes, uerùm etiam Auerrois opinio (licet ſit contra Hippocratẽ & Galenum) cõmuni practicandi modo aduerſatur. Vult enim VII. Colli. c. 29. ꝙ tam in phlegmone ſplenis & hepatis, ꝗ̃ in pleuritide, primò ſecãda ſit uena, quæ intus

lateris

lateris non dolentis, ſecundo lateris dolentis. Communis autem practicandi modus in curatione pleuritidis, opinionem Auerrois obſeruat. In curatione uerò phlegmones hepatis aut ſplenis, & primo & ſecundo (ſi opus ſit) uenam internam incidit lateris patientis. Contra mentem Auerrois, mentem Hippocratis & Galeni poſuit Rabi Moyſes in uiceſimaquinta particula ſuorum apho. ubi ſic habet: Gale-
» nus probauit in pluribus locis, quòd materiæ
» apoſtematum calidorum in principio ſui flu-
» xus, & tẽpore augmenti, & ſtatus ſui ſunt ex-
» trahendæ per oppoſitum & diuerſum: Et ſtatu
» completo, & humore non fluente in membro
» inueterato ibi, & in lapidem conuerſo extra-
» hendæ ſunt per idem membrum repletum, ſi
» fuerit poſsibile, uel per membra proxima ma-
» gis ſibi: Et de hac radice ſatis Galenus & Hip-
» pocrates ſunt loquuti. Et hoc ſanum eſt, & ſu-
» per hanc radicẽ ars medicinæ totaliter eſt fun-
» data, & ipſius utilitas experimento monſtra-
» tur; Et ſuper hanc radicem ualde utilem præ-
» cipit Galenus phlebotomiã in fortibus ægri-
» tudinibus oculorum, ſquinantia, & ſimilibus,
» uenam cephalicam in principio, & ipſis ægri-
» tudinibus prolongatis, & apoſtematibus in la-
» pidem conuerſis, ſeu retentis cum membro &
» confirmatis, Galenus præcipit in ægritudini-
» bus oculorũ phlebotomari uenam ſuperioris

 anguli

,, anguli oculi, uel uenam frontis, ſeu uenas, quæ
,, poſt aures ſunt: Et in apoſtematibus gutturis,
,, & uuularũ phlebotomari uenas quæ ſunt ſub
,, lingua: & hoc manifeſtè ſanum eſt. Ex ſuprà declaratis luce clarius eſt Galenũ in forti oculorum ægritudine & ſquinãtia uelle ſecandam eſſe humeralem lateris patientis. Et hoc eſt quod Rabi Moyſes dicit extrahere per diuerſum & oppoſitum ſecundum rectitudinẽ. Hęc omnia clara erũt, uidenti quæ ſuprà dicta ſunt aduerſus illos, qui dicta Hippocratis intelligenda eſſe dicebãt, quãdo materia pro magna parte fluxa eſt. Subiungit poſtea Rabi Moyſes contradictionem in dictis Galeni apparentem, quam relinquit inſolutam (etſi ex ſupradictis ſolutio clariſsima ſit) dicens:
,, Et in expo-
,, ſitione ſua in ſexto aph. dicit hoc dictum pro-
,, prium (ſcilicet in commento XXXVI. aph.) in
,, ægritudinibus poſitis ſupra hepar ad attractio
,, nem ſanguinis per oppoſitũ neceſſaria eſt phle
,, botomia in manibus: Et in ægritudinibus po-
,, ſitis infra hepar, neceſſaria eſt phlebotomia in
,, uenis inferioribus genuũ, aut quæ ſunt ſupra
calcaneum. Et in particula de phlebotomia, re-
,, citauit illud idem dicens: In epilepſia, uertigi-
,, ne, ſiue uigilia eſt neceſſaria phlebotomia, ſpe-
,, cialiter in pede. Solutio eſt, quòd in tractatu de phlebotomia loquitur in præſeruatione: & in ſexta apho. in cura. Et proinde diximus Auicennam

cennã in præseruatione à pleuritide secare saphenam, non in cura. Mentem quoq; Hippocratis & Galeni sequutus est Cornelius Celsus, inter Latinos non paruæ autoritatis, qui libro II. cap. 9. de sanguinis misſione loquens, dixit: Mitti uerò is debet, si totius corporis causa, sit ex brachio: si partis alicuius, ex ea parte, aut certè quàm proxima; quia non ubiq; mitti potest, sed in temporibus, in brachijs, iuxta talos: neq; ignoro quosdam dicere, quàm longiſsime sanguinem inde ubi lædit, esse mittendum: sic enim auerti materiæ cursum. At illo modo in idipsum quod grauat euocari, sed idipsum falsum est: proximum enim locũ primò exhaurit. Ex ulterioribus autem eatenus sanguis sequitur, quatenus emittit̃, ubi is suppressus est, quia non trahitur, nec uenit quidẽ. Videtur tamen usus ipse docuisse, si caput fractum est, ex brachio potius sanguinem mittẽdum esse, si quod in humero uitium est, ex altero brachio: credo, quia si quid parũ cesserit, opportuniores hæ partes iniuriæ sunt, quæ iam malè habent. Hæc Celsus. In quibus apertè uoluit: Si uitio totius corporis sanguis mittendus sit, quòd ex brachio mitti debeat: Si uerò partis alicuius uitio, quæ uel phlegmone laboret, uel aliter lædatur, mittendus sit ex ea ipsa parte, aut quàm proxima mittendum esse: quia non semper licet ex ipsa parte sanguinem

mittere.

mittere. Nam phlegmone laborante hepate, ex eo ſanguinem mittere nō licet, quare ex uena proxima, magisq́ꝫ communicante mitti debet, ex interna ſcilicet dextra. Et quia obijci ſolebat, quòd mittere ſanguinem ex parte læſa, aut ſibi proxima, eſt ad locum læſum ſanguinē trahere, idipſum falſum eſſe dicit, quia quū uena ſecatur, proximus locus primo exhauritur, ex ulterioribus autē partibus ſanguis non trahitur, quum uena ſuppreſſa, nulla ſit ibi uacui neceſsitas. Et quia ratio hæc probare uidetur, quòd incipiēte phlegmone liceat ex membro læſo ſanguinem mittere, quod in præcedētibus eſt reprobatum, ſubiungit: Experientia tamen docuit, Si caput fractum eſt, non ex eo membro læſo, ſed ex proximo brachio, ſcilicet ſanguinem eſſe mittēdum: pari modo, Si quod in humero uel brachio uitium eſt, non ex eo ipſo, ſed ex altero brachio mitti debet: quia ſi quid parum ceſſerit, id eſt, ſi quid parum mouetur ad membrum læſum maius fieret nocumentum. Quod totum ad mentem Hippocratis, & Galeni ſuprà fuit euidenter declaratum. Hæc de Arabum & Celſi opinione. Nunc ad rationes me conuerto, quod tertium propoſitum erat.

PRima ratio ſit aduerſus eos, qui in pleuritide, dolore deſcendente ſanguinis miſsionem faciūt ex uena, quæ intus lateris non patientis.

tientis. Ex eadem uena in phlegmone iecoris & pleuritide dextri lateris, quando dolor descendit, sanguis est mittendus, quum nulla ratio diuersitatis assignari possit. In iecoris autem phlegmone apud omnes ferè, mittendus est sanguis ex interna uena dextri brachij. Idcirco in pleuritide dextri lateris dolore descẽdente sanguis mittendus erit ex interna uena lateris patientis: Et proinde Galenus XIII. de morbis curandis dicebat: Vbi iecur, pectus, pulmo, aut cor sic afficiuntur, internam incidere. Et parum infrà subiungebat: Perpetuo autem in omnibus è directo. clarè docens, ex eadem uena, ac semper è directo lateris patientis mittendum esse sanguinem in passionibus iecoris & pectoris. Nam si in uno in parte iecoris gibba phlegmone incipiat, in altero pleuritis in ultimis costis partis dextræ pectoris: quemadmodum uenæ internæ dextræ sectio in iecoris phlegmone à deorsum sursum diuertit, ita & magis eiusdem uenæ sectio in dicta pleuritide diuertet, quum gibba parte iecoris inferiores sint infimæ costæ. Diuidebat enim Galenus VI. Epidimiorum, partic. II. de mente Hippocratis totum corpus humanum in sursum & deorsum, & quæcunque supra iecur sunt, sursum appellat, & quæ infra iecur, deorsum: Ipsum quoque iecur, quo ad gibbum eius, sursum: quoad concauum, deorsum: sicut & os

stomachi

ſtomachi ſurſum, fundũ uerò deorſum. Quòd ſi quæ omnia ſurſum ſunt inter ſe comparentur, id quod magis ſurſum eſt, ſurſum dicitur: quod uerò minus, deorſum. Quare cor reſpectu cerebri deorſum dicitur, & cerebrum ſurſum. Eodem modo dextrum & ſiniſtrum ſubdiuidi debent: Eo enim quod ſurſum & deorſum ita ſubdiuiduntur, non uideo cur dextrũ & ſiniſtrum non ita ſubdiuidi debeant. Idcirco cum dicit Hippocrates criſim fieri de ſurſum in deorſum, intelligi debet de partibus ſupra iecur, ad partes ſub iecore. Dicebatq́; ibi Galenus phlegmonas ſurſum periculoſiores, & quæ deorſum ſunt, minus periculoſas. Vnde phlegmonæ cerebri, gutturis, pulmonis, cordis periculoſiores: renum uerò & pudendorum minus periculoſæ: & quæ in gibbo hepatis periculoſiores his quæ in cõcauo: & quæ in ore ſtomachi, his quæ in fundo. Clarum ex his relinquitur, quòd infimæ coſtæ ita & magis deorſum ſunt, ſicut gibba pars hepatis: Et quod quemadmodum in phlegmone gibbæ partes hepatis ſectio uenæ dextræ diuertit ex deorſum ſurſum, pari modo in pleuritide dextri lateris in ultimis coſtis facta, eiuſdem uenæ ſectio ex deorſum ſurſum diuertet. Et quãuis apud Galenum & omnes anatomicos, humanum corpus in tres uentres diuidatur, ſupremum capitis, medium pectoris, & tertium

in quo

in quo membra naturalia continentur: quia tamen tertius uenter, & medius inuicem communicant, quoad situm, non tollitur, quin os stomachi, & gibba pars hepatis non magis sint sursum costis infimis, si comparentur inuicem, neq; curandum est, quod Auer. Platearius, aut alius ex neotericis, uelint in iecoris phlegmone uenam internā sinistri lateris incidere, quū celebres antiqui omnes in contraria sint opinione. Dicūt aliqui rationem diuersitatis, Cur in iecoris phlegmonę basilica dextra, in phlegmone uerò dextræ partis pleuræ basilica sinistra sit incidenda, quia iecoris phlegmone magis quàm pleurę sanguinem trahit ex toto. Proinde uenam illam incidere debemus, quæ uehementius à toto sanguinem ducat: aut quia non tanta sit distantia in secādo uenam ex opposito in pleuritide, quāta foret in iecoris phlegmone: si ex opposito, uenæ fieret incisio. Quòd hæc ultima diuersitatis ratio nulla, falsaq; sit, euidens est ex dictis. Prima etiam stare nō potest, tum quia in pleuritide dolor est ualde maior, quàm in iecoris phlegmone: & in maiori dolore, maior fit attractio: Nam de maximè materiam trahentibus est dolor: Tum quia potest phlegmone pleuræ longè maior esse phlegmone iecoris: & in maiori phlegmone, maior fit attractio, quum præsertim locus pectoris calidus sit: Tum quia si magis flueret

materia

materia ad phlegmonem iecoris, tum maior conueniret diuersio. Dicebat enim Hippocrates in textu de humoribus, ut suprà dictũ est: Quum materia maximè fluit, tunc maximè diuersio conuenit. Maior autem diuersio fieret secta uena interna sinistra in phlegmone iecoris, quàm si ex dextra sanguis mittatur: Vnde ratio illa concludit oppositũ eius, quod intendit. Fortè dicetur alia diuersitatis ratio, quòd scilicet iecur est fons sanguinis & uenarum, & ab eo uenæ omnes oriuntur, unde uena quælibet euacuat ab eo, neque respectu iecoris est dare uenã, quæ plus ab eo diuertat, quàm euacuet: secus autem uidetur esse de uenis in respectu pectoris. Sed audiant Galenum 11. de ratione uictus in acutis commento decimo, dicentem, quamlibet euacuationem ex sectione uenæ factam, ab uniuerso animalium corpore sanguinem ducere, nõ tamen ita celeriter, neq; æqualiter ex omni uena. Quis enim nesciat uenam quamlibet educere à capite, à pectore, à stomacho, à renibus, & deniq; à toto, uerũ humeralem plus & celerius à capite, quàm ab hepate, & internam celerius, & plus à iecore, q̃ à capite? Quis est qui nesciat uenam poplitis, aut tali à iecore, & superioribus diuertere, non tamen ab ipsis educere, nisi copiosa admodum fiat euacuatio. Quare idem dicẽdum est de uenis respectu pectoris, & respectu iecoris: siue

iecur,

iecur, siue cor fons & origo sit uenarum. Dicetur forte non esse eandem rationem sectionis uenæ in phlegmone iecoris & pleuritide dextri lateris dolore descendente, quia si sic esset, eadem etiam ratio deberet esse medicinæ solutiuæ exhibendæ. Sed in pleuritide in principio dolore descendente conuenit medicina soluens, igitur in principio phlegmones hepatis medicina solutiua coueniret, quod toti medicorum scholæ aduersatur, eò quòd materia ad phlegmonem duceretur. Verùm non tenet illa sequela, eadem uena in phlegmone iecoris & dicta pleuritide secari debet, igitur in utrisque eodem modo medicina debet exhiberi solutiua: quia de uenæ sectione nulla ratio diuersitatis assignari potest, de medicina uerò solutiua, satis euidēs est diuersitatis ratio. Quia in phlegmone iecoris ex medicina soluente trahitur materia ad locum læsum, & phlegmone augetur, secus autē in pleuritide. Pro præsenti ratione, & aliis adducendis aduertenda est Galeni sententia, secundo de ratione uictus in acutis commenti decimi, quum loquens de pleuritide dicit: Quòd uerò purgationis necessi- ,,
tas sit, si redundantes humores deorsum re- ,,
pant, est quoque ratione scitū, animaduersumque, ,,
sed id testimonium, ratamque fidem ab experi- ,,
mentis habet. Pariter dicendum est, quòd una ,,
uena magis alia secari debeat in pleuritide, ra-
 tione

tione scitum est, sed id certam fidem ab experimentis habet. Et ideo prima hæc ratio fundatur super eo experimēto, quòd in phlegmone iecoris incisio uenæ internæ brachij dextri plus iuuet, quàm alterius uenæ sectio. Vnde infertur eadē ratione, quòd plus iuuet in pleuritide dextri lateris dolore descendente. Pari modo rationes adducendæ procedent, uel ex concessis ab alijs, uel ex his quæ experimentis nota sunt; neq; aliter in præsenti materia rationes adduci possunt.

SEcunda ratio præsupponit modum generationis phlegmones à Galeno positum in tract. de tumoribus præter naturam: Et tertio artis medicinalis, cap. 95. secundum Leoniceni diuisionem: Et in tract. de inæquali temperatura, ubi sic habet: Statim enim defluxione calida ad musculum decumbente, primùm arteriæ maiores, & uenæ implentur, atque extenduntur; post has uerò minores: fitq; istud continuò, donec ad minimas fluctio pertingat; quę quando fortiter intensa fuerit, & amplius contineri non potest, pars eius exit per orificia, pars per foramina uenarū percolatur ad exteriora, atque exinde fluctione implentur spatia intermedia primorum corporum. Et paulò pòst subiungit: Atq; hic morbus phlegmone nominatur. aperte docens, quòd anteq̄ phlegmone incipiat, arteriæ & uenæ omnes, maiores,

res, minores, paruæ & minimæ implentur intantum, ut non amplius poſsint continere. Stantibus his, ratio ſic formaẽ. Apud omnes, quando materia fluxit, ſectio baſilicæ lateris patientis eſt facienda: In principio pleuritidis materia fluxa eſt, ſi nõ ad phlegmonem, ſaltem pro magna parte ad loca circunſtantia: Idcirco quum idem debeat eſſe iudiciũ de materia ad phlegmonem, & ad loca circunſtantia fluxa, in principio pleuritidis baſilica lateris patientis erit incidenda. Adde quòd fieri poteſt, ut tota materia pleuritidem factura fluxa ſit ad phlegmonem, uel loca circunſtantia, neque magna ex parte certè ſciri poteſt à remotis partibus poſt principium pleuritidis materiam fluere, quia & ſi poſt principium dolor augeatur, id fieri poteſt ex materia in locis circunſtãtibus, quæ uenas exit phlegmones augmentum futura. Quare qui uenam internam lateris non patientis incidunt, id faciunt, ut materiam à remotis fluentem diuertant, quam tamen fluere neſciunt. Præterea dato, quòd poſt principium materia pro parte flueret à remotis, ex eo qđ fluere poteſt, in eadem ſemper parte ſurſum deorſum, uel econtrario: antè retrò, uel econtrario: intus, extrà, uel econtrario: nõnunquàm uerò ex alia parte, à dextro ſcilicet in ſiniſtrũ, uel econtrario: & huiuſmodi fluxus, aut unde fluat, magna ex parte, certa non poſsit haberi

 notitia.

notitia. Non inuenies enim doctores posuisse signa, quibus unde materia fluat, cognoscere ualeamus. Et qum fluit, uel deorsum sursum, uel antè retrò, uel intus extrà, uel econtrario, in eadem semper parte, sectio uenæ quæ intus lateris non patientis, non diuertat materiam, sic à remotis fluentem. Declaratum nanque est suprà, quòd diuersio est materiæ ad sui motus contrarium fluentis attractio, ut si deorsum fluat, trahatur sursum, uel contrà: Et si intus, extrà: uel si antè fluit, trahatur retrò uel contrà. Nam si sursum fluit, trahere ad dextrum aut sinistrum, non est diuertere. Licet enim trahatur ad partem contrariam, non tamen ad contrarium sui motus trahitur. Relinquitur ex his, perperam poni regulam illam uniuersalem, Quòd in principio pleuritidis ad diuertendam materiam à remotis fluentem semper interna uena lateris non patientis sit incidenda. Præsupponunt isti, quòd semper in principio pleuritidis materia fluat à remotis, quod tamen scire non possunt: & si fluit, minus scire possunt, unde fluat: & ita tentant diuertere materiam fluentem à remotis, quæ fortè non fluit: & si fluit, nesciunt unde: Et proinde nesciunt, quomodo sit diuertenda. Nos autem certò scimus materiam in locis phlegmonem circunstantibus contentam ad phlegmonem fluere, quam & diuertimus, & euacuamus per

uenæ

uenæ ſectionem, quæ intus lateris patientis. Quòd ſi etiam ipſis concederetur ex ſectione uenæ internæ lateris non patientis, aliquam fieri diuerſionem, quia ſanguis lateris non patientis primò educitur, cui ne detur uacuum, ſanguis lateris patientis ſuccedit: adhuc illud ſequeretur inconueniens, quòd ſanguinem lateris non patientis bonum educunt, & ſanguinem lateris patientis alteratum, & ſemicorruptum in corpore relinquunt. Dixi nonnunquam, ſeu rarò ex dextro in ſiniſtrum, uel contrà, materiam fluere: quia natura corpus animalis in duas diuiſit partes, dextram & ſiniſtram, ut una læſa, integra ſit altera, qua poſsit animal uti, & quantum poſsibile fuit, prouidit ſolicitè, ut una pars alteri nocumentum non communicet. Vnde Galenus decimo, de uſu parti. in fine aduerſus illos, qui neruos uiſiuos uniri dicebant, ut ſecum inuicem affectus communicent, malumq; alterius in utroſque diuidant, ita dicebat: Secundum hæc autem, exiſtimare, quòd ut diuidantur paſsiones, cõ- ueniant ad inuicem nerui, contra naturæ prouidentiam dictum eſt, quum ipſius contrarium, ipſa machinetur, uti iam prius in multis oſtendimus. Melius eſt (ſi poſsibile eſſet) nequaquam aliquid alteri condolere.

TErtia ratio præſupponit experientia conſtare, quòd natura nũquàm bene euacuat,

nisi secundum rectitudinē, siue ab eadem parte, & præsertim quando per superiores partes facit euacuationes. Vnde dicit Galenus tertio, „ de crisi. cap. 3. Soluit autem lienis & hepatis „ inflammationes sanguis è naribus profluens, „ quum hæc uiscera unà cum acutis febribus ha „ bent inflammationes, & omnes quæ sub præ„ cordijs fiunt calidæ atq; acutæ inflãmationes, „ fluxu sanguinis finiuntur. Oportet autem per „ directum fluere sanguinem, ex dextra quidem „ nare hepate patiente, uel locis sub dextris prę„ cordijs positis. In tractatu quoq; de missione „ sanguinis, sic habet: Sumpto initio ab his quæ „ quotidie in laborantibus uidentur: quæ qui„ dem Hippocrates diligenter obseruata memo „ riæ prodidit. Est uerò eorum unum, prima„ riumq; caput hoc scilicet, quibusque κατ' ἴξιν „ eruptio sanguinis accidit, summum id com„ modum laborantibus affert. Hoc autē κατ' ἴξιν „ quod in rectum intelligatur, omnibus confes„ sum est, quum clarissimè sæpenumero hac uo„ ce, κατ' ἴξιν in hoc utatur significato. Quibus „ uerò contrà euenit, nihil iuuat, aut etiam in„ terdum nocet, quòd uires scilicet citra morbi „ leuamen deijciat, atque exoluat. Non enim in „ liene turgente ex dextra nare erumpens san„ guis, neq; in iecore ex sinistra, ullam fert utilitatem. In cõm. etiam XX. primæ part. aph. dicebat, Illam esse bonam crisim quæ recto fit tramite,

mite,&c. Quum uerò medicus naturam rectè facientem debeat imitari: consequens est, ut in pleuritide in principio sanguinis mißionẽ faciat, secundum lateris patientis rectitudinem. Dicetur fortè, quum natura bene operatur, & euacuationem materiæ secundũ affectæ rectitudinem facit, id agit non in principio, sed concocta materia; quo casu concedũt etiam aduersarij fiendam esse materiæ eductionem secundum rectitudinem partis patientis. Non uiderunt ita dicẽtes, quid de Pericle languẽte III. Epid. scripsit Hipp. ubi sic habet: Periclem in ,, Abderis febris acuta continua cũ labore, mul- ,, ta siti, æstuationeq́ cepit, potũ non continuit, ,, sublienosus autẽ, capiteq́ grauatus erat. Pri- ,, mo die sanguis de sinistra nare prorupit, mul- ,, tum superfebriuit, multũ turbidum albũ min- ,, xit, quod in matellis iacẽs non subsedit: secun- ,, do cuncta grauarunt: Lotia quidem crassa fue- ,, rant, sed quæ magis subsiderent, quæq́ circa ,, æstuationem erãt, leuata sunt, dormiuit: tertio ,, febris mollita est: lotiorum copia matura, mul ,, tam subsistentiã habentia, nocte quieuit: quar- ,, to circa meridiem multo calido per totũ suda- ,, uit, febre caruit, decreuit, nõ reuenit celeriter. ,, In hoc ægrotante, & secundũ splenem patiẽte, primo die natura bene operãs, sanguinis multi fecit eruptionẽ ex nare sinistra, quum materia concocta non esset: Lotium nanq́ multum, &

turbidũ erat, neq; subsistẽtiã habebat. De Metone quoq; septimo languente, 1. Epid. ita scripsit idẽ Hipp. Metonẽ febris cepit, lumborum grauedo dolorifica; secũdo quũ aquã multã potasset, uenter optimè demisit: tertio capitis grauedo, tenuia, biliosa, subrubea demisit; quarto cũcta grauarũt, dextra nare sanguis paulatim bis defluxit, noctẽ difficulter tulit, deiectionibus tertię diei similia demisit, lotia subatra, quę subatrũ qd fluitãs, sparsum, nõ subsistẽs habuerũt; nõ sudauit: qnto dextra nare multũ purũ abũde fluxit, sudauit, decreuit, post decretoriũ puigilauit, delirauit; lotia tenuia, subatra minxit, caput pluit, qeuit, cognouit, morbus huic nõ reuenit, sed crebrò sanguis naribus erupit, & post decretoriũ. Clarè cõstat ĩ hoc ægrotãte naturã sanguinis eruptionẽ ex naribus crebro fecisse, licet materia cõcocta nõ esset, quũ lotia subnigra forẽt, nec subsistẽtiã haberẽt. Et qa cũ natura iudicat ægritudines, & materia non est cõcocta, fieri solẽt reuersiones, dixit Gal. ĩ cõ. qþ huic ægroto loco reuersionis, aut abscessus natura crebrò post iudicationẽ sanguinẽ misit è naribus. Ex his dictis Hipp. clarè colligitur, ut queẽadmodũ natura ĩ eruptione sanguinis è naribus cõcoctionẽ materiæ nõ expectat, ita nec à medicis in sanguinis missione cõcoctio uenit expectãda. Dato autẽ, & aduersarijs cõcesso, qþ natura non bene euacuet ex eadẽ parte, nisi sit

materia

materia concocta, quærẽda ratio tũc ab eis est, cur ita eueniat, ut quũ materia cõcocta est, natura nõ bene poſsit euacuationẽ facere per oppositam partẽ. Nulla alia reddi posse uidetur, nisi ꝙ quæ debet educi materia, melius & facilius ex eadem parte, quàm ex opposita potest educi, ex uicinioribus scilicet, & communioribus affectæ particulæ uenis: ut enim suprà dictum est, natura diuisit animal in dextrum & sinistrum, fecitq́ quantum potuit, ne partes istæ communicarent inuicem, ut una læsa, non pateretur altera, sed ea poſsit animal uti. Quũ itaque in principio pleuritidis (ut Galenus dixit commento x. secundi de ratione uictus in acutis) intendat medicus plus euacuare à loco læso, quàm ab aliꝭs partibus, ex eadem parte sanguinem mittet, non ex opposita. Dicere uerò Galenum in eadem parte loqui de miſsione sanguinis in statu fienda, quum materia fluxa est, aut concocta, uanum & chimericum est, ac (ut ex suprà declaratis patet) euidentiſsimè falsum. Dicebat ita Galenus: Nos uerò partẽ ,, eam, quæ phlegmone obsidetur, tum celeriter, ,, tum ꝙ̃ cæteras partes magis (in acutis præ- ,, sertim morbis) uacuare contẽdimus. Si de stata ,, morbi, & materia fluxa intelligunt, dicant, cur ea sententia in acutis magis, quàm in chronicis uerificetur. Certè ratio nulla poterit aſsignari: quandoquidem tam in diuturnis, ꝙ̃ in acutis,

quum materia fluxa est, à parte læsa, non ab alijs euacuare contendimus. Præterea quomodo celeriter euacuabimus, si materiæ totus fluxus, aut morbi status sit expectandus? Sed hæc aduersariorum dicta tanquam uana, & ex supradictis reprobata, missa faciamus.

QVarta ratio, sectio uenæ intus lateris patientis in principio pleuritidis, & amplius euacuat, & æqualiter, aut amplius diuertit à loco læso, quàm sectio basilicæ lateris non patientis: ea igitur secari debet. Quòd plus euacuet, aduersarij concedunt, ac satis euidens est. Quòd æqualiter, aut amplius diuertat, ostenditur, si prius Galeni sententia cõsideretur, quàm in quarto de Tuenda sanitate, curam ponens lassitudinis phlegmones similitudinem repræsentantis adduxit, & quæ suprà contra sextum modum interpretãdi dicta Hippocratis posita fuit. Vult enim quòd in lassitudine, quæ ueluti phlegmone fatigat, sanguis expellatur à uena caua ad minores, & ab illis ad minores: & ita continuò, donec ad minimas deuentum sit, & à minimis ad membrorum uacuitatẽ. Quum uerò interna uena secatur, reuerti sanguinem à membris ad uenas minimas, à minimis ad minores, donec ad maximas deuentum sit, & à maximis extra corpus. Quare per sanguinis missionem mouetur materia ad contrarium motus eius, quẽ

primò

primò faciebat,& ita diuertitur. At quum ex magno flumine riuuli fluunt à dextris & sinistris, si uis quòd à dextris fluentes in flumen refluant, uacuãdum flumen est ex eamet parte dextra, qua riuuli defluunt: & pari modo defluentibus à sinistris: semper enim ex ea parte qua flumen minuitur, riuuli retrocedunt. Idcirco quum uena caua sit, ut flumen, unde uenæ paruæ tanquam riuuli fiunt, ad costas sanguinem deferentes, si uolumus in pleuritide dextri lateris uenas paruas eiusdem lateris in flumen refluere, uenam cauam uacuare debemus ex parte dextra, quare interna uena dextri lateris erit incidenda: & in pleuritide lateris alterius, interna uena sinistra. Verùm licet quæcũq; uena interna secetur in uena magna, sanguis ex omni parte, tam dextra quàm sinistra minuatur: Ex sectione tamẽ uenæ dextræ, citius & plus uena magna uacuatur in parte dextra, quàm sinistra, & è contrario in sectione uenæ sinistræ. Proinde uel æqualiter, uel plus diuertit uenæ sectio lateris patientis, quàm lateris oppositi, quod erat declarandum.

QVinta ratio, ubi materia fluat ex dextra parte capitis, & in uenam cauam redeat, & fluens ad dextram pectoris partẽ, phlegmonem faciat, constat quòd longe melius diuertet uenæ dextri lateris incisio, quàm sinistri: imò sinistri lateris uenę sectio, nihil ferè diuertet:

tet;fluente nanque materia per uenam cauam deorſum ad dextram partem,per eandem partem ſurſum retrahi debet, quod non niſi per inciſionem uenæ lateris eiuſdem fieri poterit. Et ſimiliter ſi fluat ex deorſum ſurſum per dextram uenæ cauæ partem,euidens eſt,quòd ſi ſurſum trahatur per eandem partem,impedietur ne fluat à uena caua ad ramulos paruos,ad dextram pectoris partem tendentes,ubi phlegmone fieri cœpit, nec poteſt à ſiniſtra parte pectoris ad dextram fluere materia,niſi redierit in uenam cauã,quod ualde raró contingere poteſt; quum uenæ cauæ fortior ſit uirtus, quàm uenarum paruarum,uenæque fortes ad debiles mittant.Præterea ſtante plenitudine partis ſiniſtrę,fieri potius pleuritis in ea ipſa parte deberet,quàm quòd ex illa materia fluat ad partem dextram phlegmonem factura. Fortè dicetur quòd in caſu rationis huius,ſi medici foret intẽtio,quòd ad locum à quo fluere cœpit, materia reflueret,humeralis potius, quàm uenæ quæ intus inciſionem cõuenire, propterea quòd materiam illam magis ad ſuperiora traheret. Verùm non eſſe illam medici intentionem,ſed eum tantùm medici fore ſcopum, ut materia trahatur ad partem contrariam particulæ patienti: quare ſi locus læſus ſit dexter, ſatis eſt medico,quòd fluens humor ad ſiniſtrũ diuertatur. Hæc reſponſio ſatis eſt euidenter

repro

reprobata, quando de mente Hippocratis, & Galeni suprà fuit declaratum, quòd diuertere sit, materiam ad contrarium sui motus attrahere, & non ad contrariam partem particulæ patienti. Neque nos in hoc casu secamus humeralem, neque materiam à remotis fluentem diuertere contendimus; sed id præcipue curamus, ut materia phlegmonem circunstãs apta de proximo fluxu suo phlegmones augmentum facere, retrocedat, & ad contrarium sui motus attrahatur, quod per uenæ sectionem quæ intus lateris patientis, abunde consequimur; quumq; materia illa proxima retrocedit, fieri nõ potest, ut à remotis alia materia locum læsum attingat: neque enim contrarij motus, retrocessus, & in eodem tempore per easdem uias fieri solent.

SExta ratio probat, incipiente phlegmone corpore pleno, medici non esse semper intentionem ut à remotis fluẽtem materiam diuertat: Nã si materia in supremo dextræ partis capitis ad sinistram flueret partem, dolorẽ uel phlegmonem faciens (etsi raro contingat ex dextris ad sinistra, uel è cõtrario materiam fluere) certè Galenus, Rasis, & alij plures, humeralẽ sinistri lateris inciderent: Id tamen fieri non deberet, si materia fluens à remotis esset diuertenda: Quæ quum fluat à dextris ad sinistra, necesse foret apud aduersantes (si trahi

deberet

deberet ad partem contrariam particulæ pa-tienti) ut ad dextrum traheretur, & non ad sinistrum. Quamuis enim trahere ad sinistrum inferius, sit apud eos diuertere à parte sinistra superiori, non tamen est materiam illam diuertere, quæ fluit à remotis à dextro in sinistrum: Quo casu coguntur aduersarij concedere, quod medicus intendat materiam circunstantem phlegmonem diuertere, uel potius deriuare, & non diuertere materiam quæ fluit à remotis. In hoc enim casu materia illa fluens à remotis per humeralis sinistræ uenæ sectionē trahi non potest inferius, nisi prius ad locum læsum deducatur, & quum deinde trahitur inferius, ex loco phlegmonem circunstante trahitur.

SEptima ratio sic inducitur: Quæ ducere oportet quò maxime natura uergit, per loca conferentia eò ducere: In pleuritide dextri lateris natura uergit ad partem extrà, igitur ex ea ipsa parte sanguis est mittendus. Forte dicetur illius apho. sententia intelligi de uacuatione fieri consueta quando iam fluxit, & est digesta materia, quam natura uacuare tentat, & non de diuersione: Quinimò uidentur hæc inuicem pugnare, diuertere, & quò uergit natura ducere, quum diuertere sit in contrarium trahere: sed id ipsum falsum est, eò quòd Hip.
,, in tract. de humoribus in principio dicit: Hu-
,, mores esse quò uergunt per loca conferentia
ducen

ducendos: nisi longingua maturitas præcesse- ,,
rit, quæ foras, uel intrò, uel aliò quà expediat ,,
tendat: excipiens ab aphorismi sententia quan-
do longinqua maturitas præcesserit, indicat
intelligendum esse aphorismum, in principio,
priusque materia digeratur: Gal. etiam 11. de ra-
tione uictus in acutis commento x. uerificat
illam sententiã de diuersione, quãdo scilicet ab
affecta parte reuellere uolumus & euacuare:
nec pugnant hæc inuicem, diuertere, & quò
natura uergit ducere: quia stante pleuritide
dextri lateris, ea materia, quæ uenas phlegmo
nem circunstantes replet, à loco læso diuerti
potest, eam superius aut inferius trahendo:
uerùm naturæ motus in hoc est animaduer-
tendus: Idcirco dicebat Hippo. Dolore uersus
furculas ascendente secari debet in flexu cu-
biti uena quæ intus, eò quòd tunc natura ui-
detur materiam superius mouere. Dolore ue-
rò descendente pharmacum dari iussit, ut ma-
teria trahatur inferius, quò natura uergit. Eò
his modis perpetuo materia quæ uenas phle-
gmonem circunstantes implet à loco læso di-
uertitur, & eò semper ducitur, quò natura uer
git. Instabit fortassis alter ob Galeni dicta in
commento eiusdem aphorismi: Quæ ducere
oportet, &c. ubi sic habet: Oportet medicum ,,
naturæ motum animaduertere, & si quidem ,,
idoneus fuerit, ei conuenit adminiculari: si ue- ,,
rò con

,, rò contrarius atque noxius, hunc prohibere,
,, transferre, atque diuertere oportet. Humoris autem motus ad pleuritidem faciendam, uel augendam, non eſt idoneus cui conueniat adminiculari: ſed incommodus, & noxius: quem prohibere diuertereq́ debemus. Huic igitur noxio naturæ motui non debet medicus auxiliari: neque, quò maximè natura uergit, humores ducere: uerùm potius inhibere. Dicimus nos, quòd humor qui ad pleuritidem faciendam, uel augendam, mouetur retrahi, ac diuerti debet: Et proinde humores in uenis paruis phlegmonem circunſtātibus ad uenam magnam ſunt attrahēdi, & à uena magna poſtmodum extra corpus ducēdi. Sed quia uarijs modis id fieri poteſt, per pharmacum ſcilicet, & uenæ quæ intus ſectionem patientis, uel nō patientis lateris, in hoc eſt naturæ motus animaduertendus, & eò, quò natura uergit, humores ducendi. Quare ſi dolor deſcendit, pharmacum: ſi aſcendit, uenæ ſectionem iubet Hippocrates. Pari modo ſi ad dextrā partē mouetur materia, uenæ dextræ: ſi ad ſiniſtram, uenæ ſiniſtræ ſectio conuenit. Nam ſectionem uenę, quæ intus lateris patientis amplius euacuare, & æqualiter, aut amplius à loco læſo diuertere declarauimus, q̃ uenæ ſectio lateris alterius. Admittimus itaque materiæ motum ad faciēdam uel augendam phlegmonem prohibendum,

dum, diuertendum, & auocandum esse: sed id fieri debet humores educẽdo per eam partem, qua natura uergit, sicut diximus. Neque sunt audiendi, qui uolunt Hippocratis sententiam, quum dicit, ascendente dolore, uenæ sectio, descendente, pharmacum debet adhiberi, uerificari tempore status, & non in principio.

OCtaua ratio, stante dolore diuersio fieri non debet ad remota, nisi prius dolor sedetur: eò quòd attrahit dolor, & non permittit, ut materia locum doloris circunstãs diuertatur. Quare phlegmones augmentum non prohibetur, id quod dicebat Auicen. IIII. primi, cap. I. Quumq; ad diuersum trahere uolueris, membri à quo protrahis dolorem prius seda. & cap. 3. Quumq; materiam ad lõginquum trahere uolueris, loci dolorem prius sedabis. Idem dicitur à Gal. in commento tex. Hippo. VI. epid. part. II. superius adducti: deriuare cedentem, diuertere statim, &c. Dolor autem tripliciter amoueri, uel sedari potest: tum stupefacientibus, tum fomentis, tum causæ remotione. Stupefacientia non conueniunt in hac cura: proinde primum iubet Hippo. applicari fomenta, quæ quando dolorem non sedant, id solùm restat, ut materia, quæ sui multitudine ac caliditate dolorem causat, ex loco læso remoueatur, & educatur: Igitur in pleuritide quando fomẽtis dolor non sedatur, antequàm

diuersio fiat ad remota, uel ad contrariam partem, uacuari materia debet à loco dolente, uel uenæ sectione, uel pharmaco. Sectio uerò uenæ, quæ locum læsum, dolentemq́ uacuat, est sectio uenæ, quæ intus lateris patientis: ea igitur incidenda uenit, quãdo sanguinem mittere cõuenit. Fortè dicetur, in principio pleuritidis dolor paruus est, in statu uerò magnus: & tunc sedari debet uenæ sectione lateris patientis: quod aduersantibus minime repugnat. Ad hoc dicimus in principio pleuritidis sæpenumero dolorem esse magnum. Et licet in statu accidentium dolor uehemens & maior sit, statum tamen accidentiũ in pleuritide cum principio quantum ad materiæ digestionem sæpissime coniungi, satisq́ nobis esse probare, quod stante notabili dolore, qui fomentis non sedatur, antequàm ad diuersum materia trahatur, incidendam esse uenam, quæ intus lateris patiẽtis: adeò tamẽ remissus posset dolor esse, quòd uenæ sectione non indigeremus: ut uoluit Gal. VI. part. apho. commento VII. Nunc ad rationes pro contraria parte me conuerto, quod quartum & ultimum propositum erat.

PRima ratio præsupponit, in omni phlegmone per defluxum fiente, duplicem dari materiam: Alteram, quæ fluens est: Alteram quoque, quę fluxit: Et quòd medicus duplicem similiter habeat intentionem, Alteram quidem

quidem circa fluentem materiam, quam præuisiuam nominat: Alteram circa eam quæ fluxit, quam curatiuam appellat: Id quod habetur à Galeno XIII. de morbis curandis, quum dicit: Phlegmones uerò, quæ adhuc in generatione est, duplex indicatio est, ueluti in reliquis morbis omnibus quicunque in gignendo adhuc sunt, necdum absolutionem sunt nacti: Nam quod eorum genitum iam est, id medicinæ artis parti, quæ morbos curat, subijcitur: Quod in generatione adhuc est, parti quæ futurum morbum præcauet. Atque idcirco diximus, non simplicem, sed compositam esse totam de his ægritudinibus, quæ in generatione adhuc sunt, medentis solicitudinem: ex ea scilicet quæ prouidet, & ea quæ curat: & quòd duplici existente hac tota medici solicitudine, ea quæ præuisiua est, quæ fluentem materiam intuetur, prior est ea quæ humorem qui fluxit suspicit, dicente Galeno eodem XIII. lib. Nunc ad sermonẽ de phlegmone reuersi dicamus communem omnium phlegmonarum curationis indicationem esse uacuationem: Quæ uerò adhuc in generatione sunt, prior uacuatione est confluentis ad affectum locum sanguinis inhibitio. Postea subiungit: His igitur omnibus æstimatis quæ phlegmonæ adhuc in generatione sunt, earum causas prius abscindes: quæ uerò iam factæ sunt, has

„ utique curabis ſolas. Ex his ſequitur, quòd in pleuritide fiente prius oportet materiam fluentem inhibere, quàm phlegmonem iam factam curare, materiamq́ in ea contentam uacuare. Concedimus hæc omnia, dicimusq́ fluentem materiã multipliciter inhiberi poſſe: In primis ipſam diuertendo, iamq́ ſuprà declarauimus in pleuritide fiente duplicem dari poſſe materiam fluentem: Alteram, quæ in uenis paruis phlegmonem circunſtantibus continetur, aptam ſuo fluxu phlegmonem maiorem reddere: Alteram, quæ interdum fluit à partibus remotioribus: Ac eam, quæ in uenis prope phlegmonem continetur, eſſe prius diuertendam & euacuandam, quàm ueniamus ad materiæ quæ in phlegmone continetur uacuationem, idq́ commodè fieri per uenæ ſectionem, quæ intus lateris patientis. Sed contrà ſic inſtatur: Diuerſio quælibet apud Gal. in tract. de antiſpaſi, & libro de morbis curandis, cap. 3. fit aut ex ſurſum deorſum, aut à dextro in ſiniſtrum, aut antè retrò, uel intus extrà, uel econtrario. Sectio uenæ quæ intus lateris patientis, nullo ex his modis diuertit: quia nec à dextro in ſiniſtrum, uel econtrario: In eadem nanq́ parte dextra, uel ſiniſtra ſunt, & dolor, & uena ſecta: Nec deorſum ſurſum, præſertim ſtante pleuritide in coſtis ſuperioribus: Nec antè retrò, uel econtrario, ut patet:

Nec intus extrà: sic enim trahunt uentosæ cum scarificatione loco dolenti superpositæ. Relinquitur ergo, uenam lateris non patientis potius esse secandam, quæ à dextro in sinistrum, uel econtrario diuertit. Reflectatur inprimis ratio: In pleuritide mediastini, ut ad mentem Auenzoar suprà dictum est, si basilica dextri uel sinistri lateris incidatur, ualde iuuat, non nisi à loco læso diuertendo & euacuando: & tamen hic pari ratione non fit diuersio deorsum sursum: nec à dextris ad sinistra, nec antè retrò, nec intus extrà: mediastinus enim locatur in medio, non à dextris, nec à sinistris. Ad hæc oportet dicere, quòd (quemadmodum de mente Galeni suprà diximus) corpus humanum diuiditur in sursum & deorsum: & quæ sunt supra iecur, sursum dicuntur: quæ uerò infra, deorsum: Iecur autē ipsum respectu renum sursum dicitur: & respectu cordis, deorsum. Et inter ea quæ sunt sursum, id quod est minus sursum, deorsum nominatur. Vnde cor est deorsum respectu cerebri. Similiter inter ea quæ deorsum sunt, id quod est minus deorsum sursum dicitur. Eodem modo dici debet humanum corpus diuidi in dextrum & sinistrum, ac id quod in medio dextri sinistrique locatur (ut mediastinus) respectu dextræ partis, sinistrum dici: respectu sinistræ, dextrum. Et pari modo inter ea quæ

dextra ſunt, id quod eſt minus dextrum, ſiniſtrum appellari: Et inter ea quæ ſiniſtra ſunt, minus ſiniſtrum, dextrum dici. Quo ſtante, mediaſtinus reſpectu cubiti dextri ſiniſter dicitur: & uenæ dextræ ſectio in mediaſtini pleuritide diuertet à ſiniſtris ad dextra: ſicq; ſi pleuritis ſub mammilla dextra fiat, ſectio uenæ dextræ in flexu cubiti diuertet à ſiniſtris ad dextra in tanta diſtantia, quanta eſt ab humero ad humerum: Nam mammilla dextra reſpectu brachij dextri, ſiniſtra dicitur: ſicut cor reſpectu cerebri, deorſum. Diuertet etiam ab intus extra in tanta ſimiliter diſtantia, quanta eſt ab humero ad humerum: neque uerùm eſt quod ſolæ uentoſæ, loco dolenti ſuperpoſitæ, trahant ab intus extrà: Quis enim eſt qui non uideat, inciſa uena interna lateris patientis, ſanguinem, qui intus eſt, iamq; colore mutatus, exterius trahi, & diſtantia conuenienti? Clarè conſtat ex his ſectionem uenæ quæ intus lateris patientis in pleuritide ab intus extrà diuertere, & à dextris ad ſiniſtra uel econtrario, in tanta diſtantia, quanta eſt ab humero ad humerum. Et ſi dare nolueris, quòd à dextris ad ſiniſtra, uel econtrario diuertat: id ſaltem neceſſario concedes, quòd ab intus extrà in conuenienti diſtantia diuertat: Quòd ſi contingat dolorem deſcendere, quia pleuritis in coſtis ſit inferioribus, ex deorſum etiam ſurſum

ſum diuertet. Dicatur quoque conformiter ad prædicta, quòd ſicut ſi quis iter capiat ex urbe Patauium, donec Patauium attigerit, ſemper ex urbe Patauium moueri dicetur. Ita ſi materia mouetur ab humero dextro ad ſiniſtrum, donec in humero ſiniſtro fuerit, ſemper à dextro humero ad ſiniſtrum moueri dicetur; Et ſic quando erit in ſiniſtra parte pectoris, moueri dicetur à dextris ad ſiniſtra: & econtrario, ſi ab humero ſiniſtro in dextrum primo moueatur. Proinde ſi materia, quæ in ſiniſtra parte pectoris continetur, ad brachium trahatur ſiniſtrum, trahi dicetur à dextris ad ſiniſtra. Præterea de mente Hippocratis, & Galeni (ut ſuprà dictum eſt) quælibet attractio materiæ ad contrarium ſui motus, retractio, retroceſsio, & diuerſio dici debet. Igitur quum ab humero dextro ad mammillam dextram materia mouetur, ſi trahatur ad humerum dextrum proculdubio diuertitur: quum ad contrarium motus ſui trahatur, & non aliter quàm à ſiniſtris ad dextra. Relinquitur ergo ſectionem baſilicæ lateris patientis trahere à dextris ad ſiniſtra uel econtrario. Dicatur quoq; ſuppoſito quamlibet attractionem ad contrarium motus humoris eſſe diuerſionem (quum tantum triplex in motibus ſit contrarietas, ſicut tantum tres ſunt dimenſiones, longitudo, latitudo, profunditas) quòd

de mente Galeni quælibet attractio ſecundum longitudinem fit, ſurſum, deorſum, uel econtrario: Et quælibet attractio ſecundum profunditatem fit antè, retrò, uel econtrario: & quælibet ſecundum latitudinem fit à dextris ad ſiniſtra, uel econtrario: Ita quòd apud Galenum conuertatur, retractionem fieri ſecundum latitudinem, & fieri à dextris ad ſiniſtra, uel econtrario: quod apertè colligitur V. particula aphoriſmorum in commento illius aphoriſmi, Dolenti partem capitis peſteriorē, „ &c. quum dicit: Auerſio autem ad contraria „ fit, ſecundum longitudinem quidem ſuprà „ infraq́; ſecundum latitudinem uerò, hinc & „ inde, hoc eſt, à dextris & à ſiniſtris: ſecundum „ profundum uerò, antè & retrò. Idem etiam habetur in tractatu de antiſpaſi, & quinto de morbis curandis, capite tertio. Quare quum apud Galenum diuerſio quælibet ſecundum latitudinem facta dicatur à dextris, uel à ſiniſtris, inciſio uenæ quæ intus lateris patientis in pleuritide trahet, diuertetq́; uel à dextris, uel à ſiniſtris, eò quòd in latitudinē attrahit. Hæc dicta ſunt de inhibitione materiæ fluentis per diuerſionem. Alio modo q̄ diuertendo fluens materia poteſt inhiberi cauſam fluxus amouēdo, quæ (ut dicebat Galenus XIII. de morb. curandis) aliquando eſt in parte læſa, ut quum pars affecta eſt calidior facta,
uel

uel dolore urgetur: Aliquando uerò non ex ipſa parte oritur fluxionis cauſa: ſed in alia, aliſ'ue locis ab affecta parte, quando ex alia aliqua particula, aut toto corpore ſuperfluum illi tranſmittitur: ubi dolor, aut affectæ partis caliditas humoris fluxus cauſæ ponantur, ſedando dolorem, quando fomentis id fieri poteſt, ac excedentem calorem remouendo materiæ fluxus inhibetur nulla facta diuerſione. Non itaque ſequitur, eſt fluxus humoris inhibendus, igitur eſt materia diuertenda. Vbi uerò fluxus cauſa ſit repletio partis alterius, aut totius, unde ſuperfluum parti læſæ tranſmittitur, totum corpus euacuare oportet: In hac tamen totius euacuatione fieri non poterit, quin humores in uenis paruis cōtenti non retrocedant in uenam magnam, ac aliquo modo diuertantur: Poterit tamen totius euacuatio fieri per inciſionem uenæ lateris patientis, non factis aliſ diuerſionibus. Hinc eſt quod Gal. III. medic. artis diſiunctiuè dicebat: Ad hæc igitur ambo ſcilicet ut re- „ currat humor, & ut pars affecta poſsit euacua- „ ri, totum corpus euacuare oportet, aut omni- „ no ad contraria loca retrahere: innuens, quòd „ toto corpore uacuato ſæpenumero non opor- „ tet aliſ uti diuerſionibus. Id etiam dicatur, ꝙ „ etſi Galenus in ſermonibus uniuerſalibus dicat, omnem diuerſionem fieri uel in longū de-

orſum ſurſum,uel econtrario: Aut in latum à dextris uel à ſiniſtris: Aut in profundũ,retrò uel antè, uel econtrario. Non tamen uoluit in omni morbo per defluxum materiæ facto,medicum uti debere modis his omnibus diuertẽdi,præſertim ſanguinis miſsione;nõ enim ſemper in talis morbi cura pluribus uenarum ſectionibus uti debemus: Nam dolente parte dextra capitis, aut oculo dextro phlegmone laborare incipiẽte, per materiæ defluxum non trahimus à dextro in ſiniſtrum;ſed inferius,inciſa humerali quæ è directo eſt parti læſæ;& ſimiliter affecto iecore, licet in parte dextra collocetur,non trahimus ad ſiniſtrũ; ſed ſuperius, inciſa uena quæ intus dextra; & in pleuritide, licet ſuperpoſita loco dolenti uentoſa diuertat intus extrà, non tamen ea diuerſione utimur in principio. Quare non ſequitur, pleuritis eſt in dextro latere, igitur per internæ uenæ ſectionem in ſiniſtro, diuerſio fieri debet. Forte dices, quòd in quibuſdam morbis diuerſio nõ fiat à dextris,aut à ſiniſtris,aut aliquo alio modo,uerum eſſe; ſed id euenire propter aliquam cauſam id fieri prohibentem, quemadmodum in dextræ partis capitis dolore non eſt ad partem ſiniſtram auertenda materia, quia per tam paruam diſtantiam in principio diuerſio fieri non debet. Et ſimiliter de uentoſis in pleuritide dicitur,quòd in principio non conueniunt

ob diſtan

ob distantiæ paruitatem. Nulla autẽ causa uidetur assignari posse, quæ prohibeat in pleuritide lateris non patientis basilicæ sectionem: Dicimus nos adesse causam manifestam ac urgentem; quia medicus debet in principio uacuare ex loco læso, tum, ut dolorem sedet, ne materia ad locum læsum trahatur, tum ut materiam propinquam phlegmone diuertat. Hęc autem fieri non possunt ex sectione uenæ lateris non patientis. Id etiam aduertendum est, ꝙ non sequitur, Affectus fit in parte dextra, igitur materia fluit ad dextrum; satis enim suprà declarauimus, fieri posse pleuritidem in parte dextra non fluẽte materia à sinistris ad dextra; sed ea semper in dextra stante ac fluente sursum deorsum uel econtrario; aut antè retrò, uel econtrario. & ita sequitur, Pleuritis fit in dextro latere, igitur diuersio fieri debet ad sinistrum; quum semper fienda sit ad contrariũ motus humoris. Verùm licet daretur aduersarijs, in omni phlegmone per humoris defluxum fiente modos omneis diuersionis conuenire, quia perseuerante dolore qui undiqꝫ trahit, ex omni etiam parte diuertere non erit inutile: Non tamen concedendum est eos omnes diuertendi modos fieri debere per sanguinis missionem; sed primùm incisa uena, quæ uelocius, & plus euacuat ac diuertit à loco læso, ꝙꝫ ab alijs partibus, uena scilicet interna lateris patientis,

patientis,ut ſuprà dictum eſt,ſi quis undiq; diuertere uoluerit id frictionibus, lotionibus, uentoſis, ligaturis exequi poterit, aduertendo tamen ne uentoſas loco dolẽti ſuperponat,antequàm conueniat. Forte dicetur, ſi non conuenit in pleuritide in principio ſecare uenam lateris non patientis: in alia phlegmone longe minus conueniet:igitur nunquam in alia phlegmone ſecabitur uena lateris non patiẽtis,nec à dextro ad ſiniſtrum, uel econtrario materia trahetur:Iam diximus à dextro in ſiniſtrũ, uel econtrario materiam trahi poſſe modis alijs q̃ uenæ ſectione, ſupraq; declarauimus, ubi phlegmone in brachio uel crure dextro ſit,ſecandam eſſe uenam in parte ſiniſtra, & econtrario non ſic in pleuritide.

SEcunda ratio, In cura phlegmones triplici utimur euacuatione, primo diuerſione: ſecundo,deriuatione: tertio, euacuatione ex loco,prout clare uoluit Galenus in II. ar. curat. ad Glauc.c.8. & IIII.de morbis curandis, c.6. Quod etiam ratione probatur, quia, ut habet XIII.de morbis curand.in principio: in omni phlegmone fiente,quantum ad id quod eſt futurum, conuenit præſeruatio,quæ fit cum diuerſione: & quantum ad id quod factum eſt: Cura quæ fit cum deriuatione,quando non eſt morbus inueteratus: & cum euacuatione ex loco,quando morbus eſt diuturnus: Quũ igitur

tur euacuatio diuerſiua, deriuatiuam præce-
dat euacuationem, ſectioq́; uenæ lateris patien
tis ſit deriuatiua, prius oportebit facere ſectio-
nem uenæ lateris non patientis diuerſiuam.
Dicimus hanc rationem duo falſa præſuppo-
nere, primum, quòd euacuatio deriuatiua, ma-
teriæ fluxæ debeatur: ſecundum, quòd opor-
teat ante deriuatiuam ſemper diuerſiuam face
re uacuationem. Primum clarè conſtat ex Gal.
quinto, de morb. curan. quum dicit: Nam hæc „
quoq́; Hippocratis inuenta ſunt omnis ſcili- „
cet immodicæ uacuationis communia reme- „
dia: Deriuatio ad uicina fit, quum id quod per „
palatum uacuatur, per nares transfertur: Ad „
contraria reuulſio fit, quum id ad interna re- „
uellitur. Rurſus quod per ſedem perfluit, id „
per uuluam deriuamus. Et parum pòſt inquit: „
Ad hunc modum & reliquas omnes fluxiones „
tum ad contraria reuocabis, tum ad uicina de- „
riuabis. Et parum infrà dicit: Quæ uerò in o- „
culis, aure, uel palato fluxiones accidunt, eorũ „
ad uicina deriuatio ꝑ nares eſt: In hoc enim lo- „
co deriuationẽ ſemper adhibet materiæ fluen-
ti, adeò ut de ratione deriuationis eſſe uidea-
tur, trahere materiam fluẽtem ad latus ſui mo-
tus: ſicut de ratione diuerſionis materiæ eſt
eandem ad ſui fluxus contrarium trahere. Se-
cundum conſtat ex Galeno in arte curat. ad
Glauc. lib. 11. quum dicit: Patientibus uerò „

membris

" membris extremis à coniunctis, id est, coniu-
" gatis uacuatio fienda, siue retrahere uelis, siue
" deriuare. Proinde uno crure phlegmonē contrahere incipiente, secari uena debet in altero, quam uacuationem diuersiuam & deriuatiuā simul esse & hic dicit Galenus & suprà satis est declaratum. Hinc patet quòd ratione loci ubi phlegmone fit necesse sit aliquando uacuationem facere, quæ simul diuersiua est, & deriuatiua. Sed ut ad rationem formaliter respondeamus concedimus triplicem dari uacuationem, diuersiuam, deriuatiuam, & ex loco læso. Id autem negatur, quòd in cura phlegmones ante deriuatiuā semper utamur diuersiua: Verum in cura pleuritidis utimur primo sectione uenæ, quæ intus lateris patientis, unde fit euacuatio, quæ simul est diuersiua & deriuatiua ac etiam euacuatiua ex uenis phlegmonem circunstantibus. Galenus etiam XIII. de morbis curandis, in phlegmone uteri in principio sanguinis missionē facit ex uena poplitis aut tali, quæ proculdubio censetur deriuatiua. Quum dicitur in omni phlegmone per defluxum materiæ fiente, quantum ad id quod est futurum, conuenit præseruatio, quæ fit cum diuersione, dicimus quòd per sectionem internæ uenæ lateris patientis diuertitr materia in uenis phlegmonem circunstantibus contenta, quæ fluit ad phlegmonē, & ipsam maiorem facit; quāuis

unde

unde materia fluat à remotis sæpenumero sit incertum. Quum postea dicit, quantum ad id quod factũ est, conuenit cura quæ fit cum missione sanguinis deriuatiua. Dicimus nos, curam perfici per eductionem materiæ iam phlegmonem facientis, quæ digeritur, & per sputum educitur, non per misionem sanguinis deriuatiuam. Quinimo sanguinis misio facta per incisionem uenæ, quæ intus lateris patientis, simul est deriuatiua, & diuersiua quę fluentibus adhuc humoribus conuenienter adhibetur. Fortè dicetur, Gal. uoluit deriuationẽ conuenire materiæ fluxæ, quarto de morb. curan. quum dicit: Cuius etiam ipsius rei discrimen „ in libro de succis, nos edocuit: auertere nos iu- „ bens ad contraria: deriuare uerò ad latus: quin „ etiam quum maximè influit, tum ad diuersa „ reuellere. Dictum uerò & de hoc in eo libro „ est: Quare nunc quoq; si etiamnum fluxio ua- „ lenter irruat, reuellere ad contraria studebi- „ mus: Vtiq; si in superioribus ulcus consistat, „ per inferna purgantes: sin autem in inferiori- „ bus sit, superiorem uentrem uacuantes: At si „ iam fluxio restitit atq; in membro inhæsit, de- „ riuare per uicina magis expedit. Hic uidetur „ deriuationem facere quando iam fluxio restitit, atq; in membro inhæsit. Dicimus quòd tũc fluxio restitit, atque membro inhæsit, quando materia tota in locis phlegmonem circunstantibus

ſtantibus eſt conglutinata,quæ, licet à remotis amplius non fluat,& in uno membro læſo contineatur,uel ſibi inhæreat: tamen quæ in uenis continetur,ipſa ad augumentum phlegmones adhuc fluit, cui deriuatio cõuenit, & reuulſio. Vel dicatur, fluxionem reſtitiſſe, quando remiſsio facta eſt,non quando in totum ceſſauit: & fluxionem membro inhęſiſſe,quũ iam phlegmonem in membro facere cœperit.

Tertia ratio fundatur ſuper autoritate Galeni XIII.de morb.curand. diſt.II. ca.3.& diſt.III.cap.5. Diuerſio ſemper fieri debet ad longiſsima, non igitur ex uena lateris patientis in pleuritide conueniet.In primis hæc ratio multipliciter reflecti poteſt; ſtante aſſumpto, quòd ſemper diuerſio fieri debeat ad longiſsima:ſequitur,quòd in dolore capitis,in oculorũ phlegmone,in angina, non ſit humeralis uena lateris patientis incidenda; ſed potius uena in poplite,uel malleolis, quod Galeno clariſsime repugnat: Sequitur,in pleuritide ſecandam eſſe uenã in poplite aut malleolis lateris non patientis,quod ferè omnibus aduerſatur.Et quẽadmodum ſoluetur ab aduerſarijs hæc ratio, ſic nos rationem ſuam ſoluemus; pro ipſis tamen & nobis uerborum Galeni ſeries adducatur,quæ talis eſt: Quippe præceptum in con-
„ trarium auerſionis in omnibus talibus cõmu-
„ ne eſt:Neque igitur quum uel circa ſedem,uel

aliquam

aliquam huic uicinam particulam initiũ phle-,,
gmones incidit, aluum deijcies: neq; quum in,,
uesica uel colo, uel renibus (cœpta scilicet phle,,
gmone) pharmaca, quæ urinas prouocent, bi-,,
benda dabis: nec si mulieri in utero uel puden-,,
do insedit (scilicet phlegmone) menses huic,,
prouocabis: Sed ad partes, quæ maxime lon-,,
ginquæ sunt, semper auersionem facies, æsti-,,
mata scilicet tum phlegmones magnitudine,,,
tum corporis totius statu. Ponderãda sunt illa,,
uerba, æstimata scilicet tum phlegmones ma-
gnitudine, tum corporis totius statu. Si nanq;
sit æstimanda phlegmones magnitudo: Dolo-
ris ac aliorum accidentium excessus est etiam
æstimandus: hæc autem æstimare uel conside-
rare in fienda diuersione nil aliud est, nisi quòd
sapiens medicus eam debet diuersionẽ ac eua-
cuationem in tanta distantia eligere, quæ &
augumentum phlegmones prohibeat & dolo-
rem sedet: hæc autem commodè fieri non pos-
sunt, nisi sectione uenæ quæ intus lateris pa-
tientis, & sic æstimata phlegmones & acciden-
tium magnitudine longior erit hæc diuersio ac
euacuatio, quæ utiliter fieri posit. Pari modo
soluenda ratio est de dolore capitis, de oculorũ
phlegmone, de angina. Secundum hanc solu-
tionem concedimus absolutè, q; in omni phle-
gmone materia, quæ est diuertẽda, quantò lon-
gius diuertitur, tantò melius. Verùm diligen-

ter animaduertendum, quæ ſit materia diuer-
tenda, uel euacuanda: Sit itaq; pleuritis in de-
xtro latere, cum dolore magno: quia magna ex
parte neſcimus, unde materia fluat à remotis;
nec per conſequens quò ſit illa diuertenda: ui-
demusq; materiam in locis phlegmonem cir-
cunſtantibus contentam continuè phlegmo-
nem ipſam & dolorem ſuo fluxu maiorẽ red-
dere, certè medicus ſapiẽs iudicabit eam ipſam
materiam quæ prope phlegmonem eſt, diuer-
tendam, euacuandamq; eſſe, ut dolor ſedetur,
& phlegmones augumentum prohibeatur:
idemq; iudicium faceret dolore fatigante, quã-
uis ſciretur, unde materia flueret à remotis:
Hoc ſuppoſito certè concedimus, quòd quan-
tò longius diuertimus, tantò melius: Verùm ſi
uenæ ſectio fiat in poplite uel malleolis, non
modò non euacuabitur, aut non diuertetur ad
longinqua; ſed neq; etiam ad propinqua reuel-
letur: imò nullatenus à loco ſuo mutabitur:
Vbi uerò uena quæ intus ſiniſtri lateris inci-
datur, euacuata prius parte ſiniſtra, fortè pars
aliqua materiæ diuertẽdæ tranſibit ad partem
ſiniſtram, & à loco ſuo diuertetur: Verùm non
ad longinquam diſtantiã, ſed prope phlegmo-
nem remanebit: quæ quia ſemicorrupta eſt, &
bonum ſanguinem ſiniſtræ partis inficere, &
ad phlegmonem redire poterit: præſertim quũ
ſecundo loco uena lateris patientis ſecabitur:
Vbi

Vbi uerò uena interna lateris patientis incidatur, ea ipſa materia & à fluxu ſuo diuertetur, & extra corpus ducetur: quum miſsio ſanguinis fiat, donec fluat colore ualde mutato: & ſic ad longiſsima diuertetur: quum nanque materia ducitur extra corpus, non poteſt longius duci: nec amplius timetur, aut quòd ad phlegmonem redeat, aut quod alium ſanguinem inficiat. Et ita ſectio uenæ internæ lateris patientis longius diuertet materiã, quàm ſectio uenæ internæ lateris non patientis. Stat igitur uniuerſalis regula uerìſsima, quòd dummodo materia diuertatur, quæ diuertenda, uel educenda eſt, quantò longius fit diuerſio, tantò melius. Quum igitur Galenus dicebat: Sed ad partes quæ maxime longinquæ ſunt, ſemper auerſionem facias: intelligas, illius humoris, qui diuertendus eſt. Eodem modo debet intelligi ſeries illa XIII. de morb. curand. quum dicit: Siquidem ex his, quibus oculi tentari phlegmone cœperant, nonnullos ſola purgatione per aluũ uno die ſanatos uidiſti, quam rem ſi quis in iecinore, quum phlegmone laborare incipit, tentet, maximã excitabit phlegmonem: æquè ut ſi quum in renibus, aut ueſica incipit, quæ urinas cient, exhibeat: aut ſi quum uterus phlegmone laborat, menſes deuocet. Si quidem longiſsime à tentata fluxione parte auellere, nequaquam ad eam trahere conuenit: Id enim

quòd diuersio fieri debet ad longiſsima, duplicem poteſt intellectum habere: Primo, ut diximus, quòd materia diuertenda, longius, quoad fieri poteſt, diuertatur: ſecundo, quòd uena longiſsimè diſtans à loco læſo, ſit incidenda.

Primus ſenſus conceditur: ſecundus, non admittitur. Sed contrà ſolet adduci ſeries Hippocratis in libro de Natura humana, quę ſic ha
» bet: Quamobrem has mittendi ſanguinis ra-
» tiones ſeruare aptiſsimum eſt, operæq́; pretiũ
» eſt, ut cultellus quàm longiſsime à loco, ubi do
» lor eſſe, & ſanguis cogi didicit, adigatur. Apertiſsimè docet hîc Hippocrates ſenſum illũ ſecundum non admiſſum, & ſentẽtiæ noſtræ repugnantem. Dicimus Galenum in commento illius textus Hippocratis ſententiam uerificare de ſanis præſeruandis, qui phlegmonẽ nondum contrahere cœperunt: In quibus ſuprà declarauimus, uenam eſſe incidendam, quæ à loco lædi ſolito maximè diſtet, ut à loco lædi conſueto diuertamus, & à toto uacuemus: ſeruata tamẽ, intelligas, rectitudine. In ipſis enim non eſt magnitudo phlegmones & accidẽtiũ æſtimanda, nec materiam ad augumentũ phlegmones fluentem diuertere, uel euacuare, nec dolorem ſedare intendimus: quæ omnia fieri debent incipientibus occupari phlegmone. Quare ſenſum illum ſecundum in præſeruandis concedimus, quem negamus in curandis.

Sed

Sed adhuc instatur ex Galeni textu in tract. de ratione curandi per sanguinis missionem, quum dicit: In quibus autem corporibus nul- „ la dum particula affecta est, ceterum uacuatio- „ nem uere ineunte anteuertimus: in his siqui- „ dem talis sit homo, qui quotannis æstiuo tem- „ pore febrilibus morbis obnoxius esse assolet, „ atque in eo exundantiam uacuare studemus, „ æque pars quæuis in sanguinis detractione ac- „ commodata est: sicut sane etiam si artriticus sit „ omnibus articulis laborans. Quibus autẽ exi- „ mie pars quæpiam, ubi prius euacuati nõ fue- „ rint, infestet, haud æque liceat ex quauis parte „ euacuationem moliri: uerum sicut in his qui „ pati iam occipiunt. Clarè dicens quòd in præ- seruandis, in quibus pars quæpiam pati con- sueuit, euacuationem facere debemus, sicut in his qui pati iam incipiunt: Quare quũ in præ- seruandis uena longissimè distans à loco læso sit incidenda, idem in his qui pati iam occipiũt facere oportebit. Dicimus esse simile in præ- seruandis, & in his qui iam pati incipiũt: quòd sicut apud incipientes pati non licet ex quauis parte uacuationem moliri; sed ea fieri debet ex parte patiente; ita in præseruãdis, non ex qua- uis parte, sed ex parte pati consueta uacuatio- nem facere debemus: quod est in utrisque re- ctitudinem seruare. In alio tamen differunt, ꝙ in præseruandis uena longius distans: & inci-

pientibus pati cum dolore, uena magna loco patienti proxima ſecanda uenit.

QVarta ratio, Crure dextro phlegmone laborante, iubet Galenus ſecari uenam in ſiniſtro, ut ſuprà declarauimus: Igitur pari ratione, in pleuritide dextri lateris uenã ſiniſtri cubiti ſecare debemus: ſicut enim quæ fit in crure ſiniſtro, ſtante phlegmone dextri cruris, eſt diuerſiua, uel deriuatiua, uel ſimul diuerſiua & deriuatiua: pari modo, ſtante pleuritide dextri lateris, quę fit in flexu cubiti ſiniſtri, uel diuerſiua, uel deriuatiua, uel utraq; dicetur. Et ſicut in crure ſiniſtro facta, iuuat in phlegmone cruris dextri: nulla uidetur aſsignari poſſe ratio, quin in cubito ſiniſtro facta, ſimiliter iuuet in pleuritide dextri lateris. Concedimus dextro crure phlegmonem contrahere incipiente, ſecandam eſſe uenam ſiniſtri, quæ & diuerſiua erit & deriuatiua, ut ſuprà declarauimus, non tamen à loco læſo ſanguinem uacuabit; neq; in hac ſanguinis miſsione coloris mutationem expectabimus: & ſi uena interna dextri cubiti ſecaretur, à loco læſo minus educeret, & coloris mutatio minus eſſet expectanda. In crure autem dextro uenam incidere non licet, iuxta ſuperius determinata; quia uenam membri phlegmone laborantis in principio ſecare non debemus: ſed magnã, proximamq́; membro patienti. Pari modo concedimus in

pleur

pleuritide dextri lateris incisionem basilicæ sinistri esse quoquo modo diuersiuam & deriuatiuam, sed à loco læso non educere; nec in ea expectari posse coloris sanguinis mutationem: nec dolorem posse sedare. Quæ omnia quum medicus totis (ut aiunt) neruis assequi debeat, non illam, sed basilicam lateris dextri secabit: Vnde dolor remittetur, & sanguis malus educetur, augumentumq́; phlegmones impedietur. Dices, dextro crure phlegmone laborante, sinistri uenæ sectio, licet non euacuet à loco læso, iuuat tamen: Igitur in pleuritide dextri lateris, sectio uenæ internę sinistri, licet non educat à loco læso, iuuat tamē. Non negamus eam quoquomodo iuuare, saltem in minuenda totius plenitudine: Ideo dicebat Galenus uel nō iuuat, uel non nisi post tempus: Quare si cubiti dextri nulla uena secari posset, procul dubio secari deberet uena quæ intus lateris sinistri: Quando tamen in pleuritide dextri lateris, interna uena dextri secari potest, lōgè magis iuuat, ac dolorem magis sedat: Quod iuuamentum (in acutis præsertim morbis) non est differendum: Quare longe melius est, uenam quæ intus lateris patientis incidere. Dices cur in phlegmone cruris non incidis uenam quæ similiter euacuet à loco læso? Respondetur, ꝙ nulla uena magna datur, quæ id facere possit, nisi uena eiusdem cruris, quam (ut diximus)

incidere non licet. Imitatur autem medicus naturam, quum de possibilibus id faciat, quod melius est.

QVinta ratio, Hippocrates & Galenus in pleuritide eiusdem lateris sectionē præferre uidentur: quia per unicam sectionem uolunt sanguinem in inflammatione contentum, è corpore quàm citius extrahere: Verùm in hâc nostrâ regione non adeò copiosis utimur uacuationibus, quòd corpora nostra imbecilliora, quàm ut eas ferant, nunc inueniuntur: Idcirco melius erit contrariam patienti lateri uenam primò secare: deinde uel eodem, uel altero die per eiusdem lateris uenā quantū conuenit auferre: Neq; nephas putant ab Hipp. & Gal. doctrina in nostra regione quandoq; recedere: quum & Gal. non semper ab errore fuerit immunis: præsertim in reddenda crisimorum dierum ratione, in qua ipsum errasse dicunt se demonstrasse: tum quòd ipse Gal. ab Hip. quem uelut numen quoddam colebat, sæpenumero recessit. Dicemus Galenum non uelle, per unā tantum sectionem sanguinem in inflammatione contentum è corpore celeriter extrahere: Quinimo nō modo in pleuritide, sed in omnibus affectibus, non unam tantùm, sed iteratam sanguinis missionē consulit in tract. de ratione curan. per sanguinis missionē, quū dicit: Cona-
„ ri autē in omnibus affectibus præstat, post mo-

dicam

dicam ſanguinis miſsionẽ iteratò mittere, interim eodem die, ſi ita expedire uideatur; interim poſtridie, niſi ſiquãdo (ut antè dictum eſt) ad animi deliquium euacuationem ducere cõueniat. Hãc tamen iteratam ſanguinis miſsionem, non ex altera uena, ſed ex eadem fieri uoluit. Vt enim ſanguis malus extrahatur è corpore, dolor'que ſedetur, magis expedit duas uenæ ſectiones in latere patiente facere, quàm unam in oppoſito, & alteram in patiẽte; Neq; Galenum in aſsignanda dierum criſimorum ratione erraſſe arbitror; imò in ſcriptis ſuper eo aphoriſmo VII. quarta, eſt indicatiua à cunctis, quas hactenus uiderim, cauillationibus eius mentem me deffendiſſe puto. Quòd autẽ ab Hippocrate ſępenumero receſſerit, nõ inuenietur; niſi fortaſſe quiſpiam exiſtimet, dum Hippocratis indefinita quædam definiat, obſcura declaret, diminuta perficiat, hoc pacto Galenum ab Hippo. recedere; dicebat enim ,, VI. de morbis curandis: Ego nanque non eo ,, conſilio, ut nemo Hippocratis libros legat, ad ,, hoc opus ſcribẽdum acceſsi. Verum quoniam ,, is mihi primus idonea uſus eſſe uia uidetur; ,, nec tamẽ eam totam compleuiſſe; quum quæ- ,, dam ab eo minimè limitata, quædam imperfe- ,, cta, obſcuraq; ab eo prodita inuenire liceat; id- ,, circo ipſe tum omnia ea lucidè explicare, tum ,, quæ parũ diſtincta ſunt, diſtinguere, tum quæ ,,

 deficiunt,

,, deficiunt, ſupplere ſtudui. Et primo de uſu
,, part. cap. 9. dicebat; Sed neque ea quæ Hippo-
,, cratis ſufficiebant, quædam quidem obſcurè
,, dicentis, quædam omnino relinquentis. Male
quidem igitur ille nihil ſcripſit, me iudice.
Forte dices in hac ipſa, de qua nunc agimus
pleuritidis cura, aliter quàm Hippo. & egit, &
nobis agendum conſuluit. Scribit enim Hipp.
,, libro II. de acut. uictu. Si ſub tranſuerſo ſepto
,, fuerit dolor, nec ad clauum peruenerit, mollire
,, aluũ oportet uel nigro helleboro, uel peplio.
,, Gal. uerò ab eo recedens inquit; Cognoſcere
,, quidem hęc oportet, & meminiſſe; non ſemper
,, autem uti in pleuriticis. Non eſt hoc ab Hipp.
recedere, ſed eius mentem declarare, & dicta
ſua inuicem concordare. Nam huic ſententiæ
repugnare uidetur apho. In acutis morbis ra-
ro & in principijs medicinis purgantibus uti;
& hoc cum præmeditatione faciendum. Gal.
in II. de acut. uictu. hanc apparentem tollit
contradictionem, uolens quod licet indicatio-
ne ſumpta ab eo quod dolor in pleuritide de-
ſcendat, ſit exhibenda medicina ſolutiua, mul-
ta tamẽ ſunt alia conſyderãda, quæ prohibere
poſſent: quemadmodum ſi uiæ forent obſtru-
ctæ, quo caſu nec in materia furioſa medici-
nam quæ ſoluat exhibendam conſulit in com-
mento prædicti apho. Vel ſi medicus naturam
infirmi non cognoſcat, uel morbus ſit ualde
acutus.

acutus. Quare habita consyderatione quòd dolor descendat, medicina soluens sit exhibenda; quia tamen alia prohibere possunt, dicit non semper esse medicina solutiua, quando dolor descendit, in pleuritide utendum: Potius enim hoc modo Hippocratis dicta conciliantur, quàm ab ipsis recedatur.

QVa ratione Galenus in tractatu de uirtute medicamentorum dicit, uetustissimos medicos prauas opiniones irreprehensas omisisse: Eadem ego unum interpretandi modum Hippocratis, & Galeni dicta uideor irreprehensum reliquisse: Quanquam ex dictis apud mediocriter eruditos eius falsitas possit esse manifesta. Duo ponuntur in hoc dicendi modo tempora; Vnum quando materia apta pleuritidem facere, pungitiuum facit dolorem; tensionem & duritiem in pulsu; anhelitus difficultatem, ac tussim: nondum phlegmonem febremúe faciens: Alterum quum phlegmonem & febrem facere cœpit; In illo secandam esse uenam quæ intus lateris oppositi dicitur: in hoc uenam quæ intus lateris affecti: Et in hoc Hippocratis atque Galeni in alio modernorum dicta uerificari.

SIc opinātes, præter id quod fortè nunquam uisum fuit, cùm materia apta pleuritidem facere, dolorem fieri pungitiuum, tensum & durum pulsum, anhelitus difficultatem, ac tussim,

tufsim, absq; febre, absq; phlegmone; ac præter id quòd Hippocratis, & Galeni dicta non modò phlegmone ac febre, sed incipiente dolore sunt intelligenda, iuxta illud Hippocratis, Dolorum causa proximum uentrem purgare, & sanguinis uentrem incidere, Galeni autoritate XIII. de morbis curandis manifestisfsimè uincuntur. Inquit Galenus: Modum
„ uerò, id est, quãtitatem uerò uacuationis tum
„ ex redundantiæ modo, tum ex reliquis, quæ
„ in superioribus diximus, inuenies, ętate, na-
„ tura, tempore anni, regione, & consuetudi-
„ ne, tum ante hæc ipsa laborantis uirtute: Hæc
„ enim in omnibus sunt communia. Illud uerò
„ interna'ne, an media, an humeralis secanda sit:
„ an ea quæ iuxta malleolum est, an ea quæ in
„ poplite: id uerò ex laborante particula indica-
„ tur: Ac definitum iam est in his quæ de inci-
„ denda uena scripsimus, de euacuationibus id
„ genus omnibus, diceturq; nunc, &c. Vult hic euidẽtisfsimè Galenus indicationem, quòd una uena magis altera sit incidenda, sumendam esse à laborante particula. Quum igitur in utroq; tempore sit idem locus affectus, eadem & materia, & uia per quam fluit, eandem quoque uenam semper aperiendam esse quis dubitat? Dicant isti, quid in primo tempore uenam lateris oppositi: quid in secundo lateris affecti, secandam esse indicet? Dicent fortasse,

In primo tempore phlegmonem nondum in=
cipere: in ſecundo iam incipere. Sed quid ad
rem facit ſeu phlegmone, ſeu dolor incipiat,
quum eadem ſit utrobiq; materia: eadem uia,
per quem fluit, & eadem particula tum dolo=
rem, tum phlegmonem patiens? Voluntarium
prorſus, & abſque ulla ratione fuerit dicere,
quum phlegmone incipit, ſecandam eſſe ue=
nam lateris affecti: & quum dolor ſine
phlegmone, lateris oppoſiti, quan=
do dolor & phlegmone in ea=
dem particula, & ab ea=
dem cauſa fiant.

FINIS.